

DE COMPREHENSIONIBUS RELATIVIS

APUD CICERONEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

PETRUS MIHAILEANU
RUMANUS.

DIES PROMOTIONIS: DIE XXI. M. DECEMBRIS MDCCCCVII.

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione

Eduardus Norden Dr. Prof. publ. ord.
Hermannus Diels Dr. Prof. publ. ord.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAV[illegible] FRANCKE)
TYPOGRAPHUS [illegible] R. 158.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Conspectus operis.

Saepe fit ut enuntiatum relativum alterum sibi subiunctum habeat enuntiatum, in quo notio pronominis relativi, subaudita vel expressa, obiecti vel subiecti vel attributi munere fungatur; quod cum occurrit, si enuntiatum secundarium inter partes enuntiati relativi collocatur, exsistit orationis conformatio velut haec:

Cic. de dom. 139: *M. Horatius ille Pulvillus, qui, cum eum multi propter invidiam fictis religionibus impedirent, restitit et constantissima mente Capitolium dedicavit.*

Sed eadem fere sententia etiam hac altera forma exprimi potest, sermoni Latino usitatissima:

Cic. Tusc. disp. II 60: *quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, quaenam ratio de sententia eum deduxisset, respondit.*

Haec autem constructio cum, quantum ad sensum attinet, valde est similis ei, quae praecedit, tum conformatione sua proxime accedit ad similitudinem structurae, quae exempli causa legitur:

Cic. de div. I 96: *quas cum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione.*

Cum hae tres constructiones tam arcte inter se vel sensu vel forma cohaereant, perspicuum est, nullam recte intellegi posse, nisi reliquae quoque diligenter considerantur; quare, cum nos structuram II (quae inest in Cic. Tusc. disp. II 60) accurate mente comprehendere vellemus, necesse fuit perspicere, quae ratio inter eam et reliquas intercederet; sed cum in eo haereremus, ut

fit, complura scripta ad res grammaticas pertinentia evolvimus, quibus cognosceremus, quid viri docti de illis structuris sensissent: nonnulli tacuerunt, plurimi dixerunt quidem sententias, sed de eadem re alii aliter iudicarunt.

Itaque Io. Casp. Orellius[1]) putabat primum structuram II soloecismum vel anacoluthon esse; Io. N. Madvigius[2]) attractionem esse vidit; alii ut G. T. A. Kruegerus[3]), Raph. Kuehnerus[4]) cet. opinati sunt structuras II et III ex implicatione et conflatione pronominis relativi cum pronomine demonstrativo („quem cum Cleanthes“ ex „qui, cum eum Cl.“) profectas esse; alii ut L. Ramshornius[5]), C. G. Zumptius[6]), A. Draegerus[7]) — ut aliquot tantum de multis afferamus — iudicarunt tres constructiones supra allatas ex consuetudine ortas esse, qua Latini saepe pronomine relativo pro demonstrativo *is* cum particulis *et*, *enim*, *autem* et aliis similibus coniuncto uterentur; quae duae posteriores opiniones nostra aetate aeque vigent; J. H. Schmalzius[8]) putat structuram III ex concursu duarum constructionum (i. e. enuntiati relativi et alterius enuntiati subiunctivi) in unum enuntiatum coniunctarum exstitisse; sunt etiam aliae opiniones, quas nunc, quia nihil aliud

---

[1]) Epist. ad Orell. pg. 106 sq. a Io. N. Madvigio missa. Hauniae 1828.

[2]) Ibidem.

[3]) Untersuch. a. d. Gebiete d. lat. Sprache; III. Heft, pg. 236 sqq., Braunschweig 1827, et in eiusdem Lat. Gramm. pg. 568 sqq. Hannover 1842.

[4]) Ausführl. Gramm. d. lat. Spr. pg. 867 sqq. Hannover 1878 bis 1879.

[5]) Lat. Gramm. pg. 568 sqq. Leipzig 1824.

[6]) Lat. Gramm.[10] pg. 641 sqq. Berlin 1850.

[7]) Hist. Synt. d. lat. Spr.[2] pg. 512. Leipzig 1878—81.

[8]) Handb. d. klass. Altertumsw. (I. v. Mueller) II 2, pg. 469 sq. München 1900.

nisi diversissime de his structuris viros doctos sensisse indicare volumus, silentio praeterimus. — Itaque non mirum si illis opinionibus perlectis res ipsa etiam tum nobis erat incerta; nam diverse nec dilucide nec plene nec accurate expositae erant; deinde iisdem diligenter consideratis et perpensis nobis persuasum est viros doctos de illis structuris magna ex parte non recte disputasse.

Quocirca, cum de ea re quid esset verum accurate scire vellemus et cum id ipsum operae pretium esse putaremus, nobis proposuimus ut easdem structuras diligenter inquireremus et, si contingeret, explanare conaremur, quae esset earum natura et ratio.

Rem autem propositam dignam esse quae perquiratur, ut breviter declaremus, haec tantum dicimus: illud duplici potissimum ratione est magni momenti: primum, quod eo quaestionem grammaticam solvere temptamus et difficilem, et ad orationis conformationes spectantem, quae latissime patent et maxime aptae sunt ad indolem sermonis Latini illustrandam; nam non praetereundum est eas tres structuras arctissime esse coniunctas cum pronomine relativo in universum, quod pronomen nemo nescit quantum in illo sermone ad conformandam orationem contulerit; deinde eadem quaestione, plane et recte cognita, etiam ad emendandum aliquid profici potest: fuerunt enim qui, cum naturam constructionum I et II non recte perspexissent, auctoritate codicum contempta, lectionem traditam et ab auctore Latino profectam iniuria mutarent; apud Ciceronem perraro tales loci occurunt; de quibus ad tempus disputabimus.

Hoc proposito, primum accurate indagavimus quas conformationes praebeant apud Ciceronem tres structurae de quibus agimus et quibus ex legibus ab illo adhibeantur; idque etiam eo consilio instituimus, ut, usu Tulliano cognito, si fieri posset, generaliter eius naturam in sermone Latino exponeremus; quod ut assequeremur,

omnibus Ciceronis scriptis perlustratis, omnia, quae invenimus, exempla collegimus et disposuimus; quae exempla, primum ex editione Orellii, Halmii et Baiteri[1]) hausta, ita confirmavimus, ut in unoquoque eorum editiones Baiteri et Kayseri[2]), Muelleri[3]), in epistulis etiam editionem Purseri[4]) contulerimus.

Exempla ex Rhetorica ad Herennium, ex duabus declamationibus, ex oratione pridie q. in exsil. iret habita non consideravimus.

Deinde diligenter perlegimus ea, quae viri docti inde ab initio fere saeculi proximi usque ad nostram aetatem scripserunt; quamquam illa omnia cognoscere contendimus, tamen fieri potest, ut quaedam ad nostram rem pertinentia nos effugerint, sed profecto nihil, quod sit magni momenti; nam quidquid insigne de tribus constructionibus disputatum est, id viri docti vel in notis vel in contextu afferre solent; quae omnia praeter cetera contulimus.

Et illa quidem scripta haec fere sunt:

Bach: De attractione quae dicitur inversa apud Scriptores Latinos. Straßburg 1888.

Berger (E.): Lateinische Stilistik f. obere Gymnasialkl. Celle 1870.

Devantier (F.): Über das sogenannte „Relativum in der Verschränkung oder Konkurrenz". Friedeberg Nm. 1886.

Dietrich (F.): De attractione pronominis relativi usu Sophocleo. Darmstadt 1873.

---

[1]) Io. Casp. Orellius, Baiterus (Io. Georg), Halmius (Car.): Cic. op. omnia; Turici 1845—61.

[2]) Baiter (Io. Georg), Kayser (C. L.): Cic. op. omnia; Lipsiae 1860—69.

[3]) Mueller (C. F. W.): Cic. op. omnia. Lips. 1893—1901.

[4]) Purser (L. Cl.): C[illegible] ...nii 1901—03.

Draeger (A.): Historische Syntax d. lat. Sprache. Leipzig 1878—81.

Foerster (R.): De attractione enuntiationum relativarum qualis cum in aliis tum in Graeca lingua apud Graecos poëtas fuerit quaestio grammatica et historica. Berolini 1868.

Gossrau (W.): Lateinische Sprachlehre. Quedlinburg 1880.

Grotefend (A.): Ausführliche Gramm. der lat. Sprache. Hannover 1830.

Grysar (C. J.): Theorie des lateinischen Stils. Köln 1843.

Haacke (A.): Lat. Stilistik f. d. ob. Gym. Berlin 1875.

Hand (F.): Lehrbuch des lat. Stils. Jena 1833.

Heinichen (F. A.): Lehrbuch der Theorie des lat. Stils. Leipzig 1848.

Hermann (G.): Francisci Vigeri Rotomag. de . . idiotismis liber. Lipsiae 1834.

Hermann (P.): Principien der Sprachgeschichte. Halle 1886.

Kleinschmidt (F.): Quaestiones de attractione quam dicunt; particula I. Torgau 1847.

Krebs (Ph.): Anleitung zum Lateinschr. Frankfurt a. M. 1847.

Kühner (R.): Ausführliche Gramm. d. lat. Spr. Hannover 1878—79.

Krüger (G. T. A.): Untersuchungen aus dem Gebiete der lateinischen Sprachlehre. Drittes Heft: Die Attraction in der lateinischen Sprache. Braunschweig 1827.

Idem: Grammatik der lat. Sprache. Hannover 1842.

Madvig (J. O.): Lat. Sprachl. [3]. Braunschweig 1857.

Idem: Epistula crit. ad v. c. Jo. Casp. Orellium. Hauniae 1828.

Menge (H.): Repetitorium der lat. Synt, u. Stilist. Wolfenbüttel 1905.

Nägelsbach (K. F.): Lateinische Stilistik (cura I. de Muelleri). Nürnberg 1905.

Paetzolt (F.): De latini pronominis relativi Syntaxi prisca. Vratislaviae 1873 (eandem disputationem paulo auctam iterum iure publico auctor fecit: Beiträge zur historischen Syntax d. lateinischen Sprache. Waldenburg i. Schl. 1875).

Ramshorn (L.): Lateinische Grammatik. Leipzig 1824.

Reisig (Chr. C.): Vorlesungen über lat. Sprachw. mit den Anmerk. von Haase, bearb. v. Schmalz (J. H.) u. Landgraf (G.) vol. III: Syntax. Berlin 1888.

Schmalz (J. H.): Handb. d. klass. Altertumswiss. II 2. München 1900.

Schmidt: Von den Haupterscheinungen der gramm. Attraction, ihrem Zweck und ihrer Bedeutung in der griech., französ. u. deutschen Sprache. Quedlinburg 1858.

Schulz (F.): Lateinische Sprachlehre. Paderborn 1853.

Steinthal (H.): Assimilation u. Attraction (Zeitschr. f. Völkerpsychologie u. Sprachwiss. vol. I, pg. 93—179, 1860).

Ziemer (H.): Junggrammatische Streifzüge im Gebiete der Syntax. Colberg 1883.

Zumpt (C. G.): Lateinische Grammatik. Berlin 1850.

Argumentum autem ita instituemus, ut in prima disputationis parte de usu Tulliano ad tres supra memoratas constructiones pertinenti agamus, in altera deinceps disceptatis virorum doctorum sententiis naturam et rationem earum constructionum explanare periclitemur.

Pars I.

In hac parte exempla afferam et disponam atque in unoquoque eorum genere. illustrando etiam quid sit eius proprium exponere conabor. Sed priusquam ad hoc aggrediar, pauca dicam, quae ad hanc totam partem pertinent.

Ne contorte in enarrando disputem, fere semper eam tantum orationis partem considerabo, quae a pronomine relativo incipit; itaque in exemplis velut his:

de re p. I 7: *Is enim fueram, cui cum liceret . . . non dubitaverim* et q. s.; vel: ad fam. VI 6, 5: *Nolo enim hunc de me optime meritum existimare ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus . . . sed tantas opes . . . . non haberet;* vel: ad fam. XVI 15, 1: *Incredibili sum sollicitudine de tua valetudine; qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo;*

liceat ita disputare ac si orationis membra quae sunt: *cui cum liceret — non dubitaverim, quibus ille si paruisset — haberet, qua si me liberaris — liberabo* omnino non penderent; quo concesso, ita de tribus structuris dicam, ac si comprehensiones essent, quae ex duobus enuntiatis necessario constant: primario et secundario vel apodosi et protasi. Disputabo igitur de tribus structuris vel comprehensionibus relativis, quae necessario ex duobus enuntiatis constant, quorum alterum ab altero pendet:

I. Cum enuntiatum relativum est enuntiatum primarium et notio relativi subauditur vel exprimitur in secundario:

de dom. 139: *qui, cum eum . . . impedirent, restitit* et q. s.

II. Cum enuntiatum relativum est enuntiatum secundarium et notio relativi subauditur vel exprimitur in primario:

Tusc. disp. II 60: *quem cum Cleanthes rogaret . . . respondit;*

III. Ut supra, sed notio relativi nec exprimi nec subaudiri potest in enuntiato primario:

de div. I 96: *quas cum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione.*

Quas structuras quoniam saepe commemorabo, liceat numeris Latinis hoc modo significare:

prima nobis sit structura I
secunda nobis sit structura II
tertia nobis sit structura III.

Deinde iam nunc animadvertere velim nonnunquam pronomen relativum, vim correlativam cum habeat, arctissime totam comprehensionem cum antecedentibus coniungere, ut in locis supra allatis: de re p. I 7 et ad fam. VI 6, 5; sed multo saepius relativum subiungit tantum et refert ad praecedentia vel ad sequentia, cum quibus non tam arcte comprehensionem coniungit, ut in exemplo, quod supra legitur: ad fam. XVI 15, 1, in quo pro relativo demonstrativum et particula *et* poni potest; — sed haec exigua differentia non impedit, quominus in utroque genere eadem sit orationis conformatio.

Caput I.

In hoc capite exempla disponam et perscrutabor quae structuram I exhibent, ut:

de dom. 139: *qui, cum eum multi . . . impedirent, restitit.*

Aptum duximus ut in disponendis locis rationem habeamus casus pronominis relativi a quo comprehensio

incipit; nam cum alius casus alio munere (subiecti, obiecti, attributi) fungatur, necessario fit, ut aliter se habeant loci quorum pronomen relativum alium casum exhibet.

Atque occurrit quidem pronominis relativi casus:

1. Nominativus.

a. Enuntiatum secundarium saepius interponitur inter partes enuntiati relativi; notio relativi exprimi solet in enuntiato secundario pronomine demonstrativo vel personali:

in Verr. l. I 27: *Dio quidam fuit Halesinus, qui, cum eius filio praetore Sacerdote hereditas a propinquis permagna venisset, nihil habuit tum neque negotii neque controversiae.*

Item: or. c. sm. gr. eg. 21 (*qui, cum*); de dom. 29 (*qui, cum*); 83 (*qui, cum*); 139 (*qui, cum*) p. Sest. 110 (*qui, cum*); ad. fam. IX 17, 1 (*qui, cum*); XV 1, 5 (*qui, cum*); de div. II 135 (*qui, cum*); Cat. m. 13 (*qui, cum*).

Interdum exprimitur notio relativi in enuntiato secundario:

1. Pronomine reflexivo:

de or. I 246: *nec quisquam est eorum, qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam* et q. s.

Item: p. Quinct. 9 (*qui, quasi*); de inv. II 106 (*qui. sibi ut*).

2. Pronomine *ipse:*

Phil. I 36: *O beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen et in medullis populi Romani . . . haerebant!*

Nonnumquam exsistit structura I in continuatione orationis a pronomine relativo inchoatae:

Phil. XIII 44: *Plancum participem? cuius . . . virtus lucem affert rei publicae . . . quique, nisi ante eius ad-*

ventum rei publicae poenas dederis, ille huius belli feret principatum (*ille* positum quia sua notio graviter dicitur);

Item: in Verr. l. I 8: (qui cum P. Galbam).

Interdum oratio ita conformatur ut dici possit relativum ipsum subaudiri:

in Verr. l. II, 29: *Africani est hoc, hominis liberalissimi — verum tamen ea liberalitas est probanda, quae sine periculo existimationis est, ut in illo fuit —: cum ab eo quidam vetus assectatur et . . . non impetraret, uti se . . ., et id ferret moleste: „Noli", inquit, „mirari, si . . ."*

Quo loco pro: „*cum ab eo*" . . . potuit dici: *qui, cum ab eo* ut in exemplo iam supra allato: Cato m. 13.

Potest etiam fieri ut prior pars enuntiati relativi non tantum ex pronomine relativo, ut in omnibus fere exemplis hucusque prolatis, sed etiam ex alia eiusdem enuntiati parte constet:

Phil. XIV, 17: *Utinam quidem illi principes viverent, qui me post meum consulatum, cum iis ipse cederem, principem non inviti videbant!*

Item: ad fam. VI 4, 2 (*quae tamen, si*), parad. stoic. II 16 (*qui tot virtutum . . . comitatu, cum*).

Duo enuntiata inter partes enuntiati relativi posita:

de off. I, 108: *in primisque versutum et callidum factum Solonis, qui, quo et tutior eius vita esset et plus . . . rei publicae prodesset, furere se simulavit;* Aliquid differt: ad Att. XVI 3, 6: *qui, ut Blesamius venit ad me, cum ei* (i. e. Hierae) *praescriptum esset, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret, neque ad illum neque ad quemquam nostrum rettulit.*

b. Ennuntiatum secundarium postponi potest:

in Verr. l. II, 53: *qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hereditas.*

Item: p. Rosc. A. 95 (*quae ita . . . ut*); de pet. consul. 48 (*qui rogant ut*). acad. pr. II 32 (*qui etiam queruntur, quod*); Lael. 100 (*quae tamen . . . etiam si*).

Praeter exempla quae hucusque attulimus et in quibus notio pronominis relativi in utroque enuntiato alium casum exhibet, multo plura sunt ea, in quibus idem casus nominativus in utroque enuntiato occurrit. Cum grammatici, quantum scimus[1]), non satis attendisse videantur collocationem eius orationis partis, quae est communis duorum enuntiatorum, de hac ipsa re plura dicam.

Consideremus exempli gratia hunc locum:

Or. 152: *Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos, qui, ut versum facerent, saepe hiabant:*
quo loco, quod ad grammaticae rationem pertinet, possumus pronomen relativum qui aut cum enuntiato secundario coniungere, quod cum facimus post qui necessario non interpungitur, atque hoc modo exemplum structurae II habemus, aut cum enuntiato primario, quo facto post qui commate interpungendum est atque ita conformatio structurae I efficitur; sed quod ratione grammatica statuere non possumus, id possumus, nisi fallimur, sensu; nam quantum ad sensum attinet pronomen qui vel eius notio arcte cum actione primaria coniungitur; qua de causa in recitando pronomen relativum et reliqua pars enuntiati relativi contentiore voce pronuntiatur quam verba, quae actionem secundariam interpositam exprimunt. Itaque pronomen relativum est pars enun-

---

[1]) cf. F. A. Heinichen: Lehrbuch d. Theorie des lat. Stils, p. 183 sqq.; A. Haacke: Lat. Stilistik etc., p. 333 sq.; E. Berger: Lat. Statistik, p. 166; G. T. A. Krüger: Untersuch. aus d. Gebiete der lat. Spr., III. Heft, p. 237 sqq.

tiati primarii et eius notio subauditur in enuntiato secundario. Quod si ita est, non recte nobis videtur R. Stuerenburgus iudicasse, cum in adnotationum ad orationem p. Archia poeta p. 143 contenderet, apud Ciceronem nunquam occurrere locos in quibus, cum in utroque enuntiato idem sit casus nominativus, pronomen relativum cum enuntiato primario coniungatur; ille enim dicit non facile ullum inveniri exemplum ut: „qui, cum is locutus esset, mortuus est.“ ne nos quidem invenimus tale exemplum; sed errat Stuerenburgus, cum desiderat, ut notio pronominis relativi in enuntiato secundario pronomine demonstrativo exprimatur; sufficit enim ut ea notio subaudiatur tantum in enuntiato secundario; quod idem in aliis similibus conformationibus saepissime videbimus; quare supervacaneum putamus id hoc loco exemplis confirmare.

Aliter res se habet in exemplo velut hoc:

Brut. 34: *Ipsa enim natura . . . comprehendit concluditque sententiam; quae cum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose.*

Hic quoque grammatica ratio utrumque sinit, id est relativum sive cum enuntiato secundario, sive cum primario coniungi; sed sensus postulat vel adeo cogit, ut relativum cum enuntiato secundario coniungatur.

Sed inveniuntur etiam exempla, in quibus non facile dici potest, utrum relativum enuntiato secundario an primario adnectatur, ut:

in Verr. l. II 58: *Nam quid est turpius, quid minus libero dignum quam in conventu maximo cogi a magistratu furtum reddere? qui si eo animo esset, quo non modo eques Romanus, sed quivis liber debet esse, adspicere te postea non potuisset;* vel: in Verr. l. V 110: *Alter parens ex altera parte erat Herbitensis Eubulida, homo domi suae clarus et nobilis, qui, quia Cleomenem in defendendo filio laeserat, nudus paene est destitutus.* et alia similia.

In his duobus locis non certo dici potest, utri enuntiato relativum apponendum sit. Talia exempla quodam modo locum medium tenent inter primi et secundi generis exempla. Nos vero, quotiescumque tales dubias conformationes invenimus, ratione usitatissimae consuetudinis habita, qua saepius relativum cum enuntiato secundario coniungitur, statuimus eas structuram II praebere.

Quare fatendum nobis est notas, quibus ad disponenda exempla usi simus, non semper omnino certas esse; nam quantum ad sensum pertinet, saepe non multum interest, utrum relativum cum enuntiato primario an cum secundario coniungatur. Fieri igitur potest ut aliquis aliter existimet de uno vel altero exemplo; id fit necessario, quia res ipsa sua natura dubia est.

Nobis autem magni momenti erat hoc tantum statuere: occurrere orationis conformationes, in quibus, cum et in utroque enuntiato idem est casus nominativus et enuntiatum secundarium interponitur, pronomen relativum cum enuntiato secundario coniungatur et eius notio subaudiatur in enuntiato secundario.

Quae supra diximus confirmantur etiam eo, quod eadem duplex orationis conformatio occurrit cum aut pronomen demonstrativum vel personale aut nomen substantivum usurpatur:

1. Pronomen demonstrativum vel personale aut substantivum coniungitur cum enuntiato primario:

de or. II 174: *Haec, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt;* ad. fam. XII. 9,2: *Nos, confectum bellum cum putaremus, repente a Lepido tuo in summam sollicitudinem sumus adducti;* de dom. 102: *M. Flaccus, quia cum C. Graccho, contra salutem rei publicae fecerat, ex senatus sententia est interfectus.*

2. Pronomen demonstrativum vel personale aut substantivum coniungitur cum enuntiato secundario:

Br. 238: *hic etsi etiam in causis publicis probabatur,*

tamen in privatis illustriorem obtinebat locum; in Cat. I 29: *Ego si hoc optimum factu iudicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem;* ad fam. XI 6, 1: *Lupus noster cum Romam sexto die Mutina venisset, postridie me mane convenit tuaque mihi mandata diligentissime exposuit et litteras reddidit.*

Aptum esse iudicavimus exempla structurae I, quae eundem casum nominativum praebent separatim pertractare, quippe quae peculiares quasdam formas exhibeant.

a. Enuntiatum secundarium interponitur:

Ut in reliquis huius partis exemplis, enuntiatum secundarium saepius interponitur inter partes enuntiati relativi, sed ab illis haec eo distant, quod notio pronominis relativi fere nunquam in enuntiato secundario exprimitur. Deinde, cum in illis pronomen relativum raro meram vim relativam habeat (in 28 exemplis, tantum 7^{ies} hoc fit), in his quidem saepissime id occurrit.

Cum relativi pronominis naturam consideramus, haec perspici possunt:

1. Relativum — ut iam dixi — vim meram relativam praebet; quod cum fit, pronomini relativo antecedit saepius pronomen quoddam demonstrativum vel indefinitum vel numerale vel interrogativum vel personale: *is, hic, ille, nemo, quisquam, aliquis, multi* cet. velut:

p. Rosc. A. 65: *Nemo enim putabat quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset;* in Verr. l. II 81: *reperies, credo, aliquem, qui, cum haec videat, quaerat;* de fin. IV 26: *omniaque ea, quae, secundum naturam cum sint, absint a nostra potestate.*

Item: de inv. II 77 (*is*)[1]); 85 (*is*); 93 (*is*); de or. I 1 (*multus*), 98 (*multus*); III 25 (*multus*); 59 (*inventi sunt, qui*); 74 (*is*); or. 152 (*is*); p. Quinct. 3 (*ego*); p. Rosc. A. 128 (*me*); p. Rosc. C. 4 (*quemquam*); i. Verr. l. I 44 (*id*); l. II 112 (*is*); l. V 114 (*talis*); p. Caecin. 40 (*eius modi*); p. Font. 31 [21] (*hic*); p. Cluent. 30 (*quisquam*); i. Cat. II 19 (*is*); d. harusp. resp. 18 (*is*); d. prov. cons. 25 (*vos*); 4 (*is*); p. Planc. 54 (*is*); 62 (*is*); p. Ligar. 7 (*is*); 34 (*unus*); p. reg. Deiot. 37 (*omnibus*); Phil. II 85 (*unus*); acad. pr. II 123 (*is*); d. fin. II 21 (*aliquis*); III 63 (*is*); IV 26 (*is*); V 31 (*is*); d. off. II 7 (*nos*); d. leg. II 43 (*is*); d. leg. I 25 (*is*); fragm. (Xenophon. Oecon.) pg. 978 v. 41 (*is*)[2]); ad fam. I 4, 3 (*ego*); ad. fam. IV 3, 4 (*idem*); VIII 6, 2 (*is*); X 30, 2 (*is*); ad. Quint. Fr. II 9, 3 (*is*); III 1, 21 (*nihil*); ad. Att. I 1, 2 (*nemo*); IV 6, 2 (*ego*); VIII 11 D, 7 (*unus*); ad Att. IX 19, 1 (*is*); X 4, 1: *Hi sunt, qui, nisi me .... expulissent, obtinere se non posse putaverunt licentiam ...* (quo loco *ii* subauditur); XI 15, 2 (*multi*); XIV 15, 3 (*iste*); ad Br. I 15, 11 (*quisquam*).

Pronomen interrogativum antecedit:

p. Rosc A. 32: *Etenim quis tam dissoluto animo est, qui, haec cum videat tacere ac neglegere possit?*

Item: de or. I 7 (*quis*); de nat. deor. II 97 (*quis*). —

Idem quod supra sed pronomen relativum per anaphoram ponitur:

p. Cluent. 125: *Dum vero eum fuisse Oppianicum constabit, qui tabellas . . . corrupisse iudicatus sit, qui testamentum interleverit, qui . . . curaverit, qui . . . interfecerit, qui . . . necaverit, qui . . . curaverit, qui . . . . , qui denique suos liberos interfecerit, qui, cum venenum privigno suo dare vellet, deprehensus sit;*

Item: p. Rosc. A. 149 (*is*); i. Verr. l. III 71 (*is*); p. Mil. 74 (*is*); p. Ligar. 7 (*is*). —

Conformatio notatione digna exsistit cum enuntiatum secundarium ipsum alterum est enuntiatum relativum; hoc cum fit, duo occurrunt relativa, quorum alterum spectat ad quae praecedunt, alterum ad quae sequuntur:

---

[1]) in parenthesi affertur id, quod pronomini relativo antecedit

[2]) loci omnes indicantur secundum editionem Orelli et Baiteri.

In Verr. l. V 55: *Itaque tantum valuit istius decreti auctoritas, quantum debuit eius hominis, qui, a quibus frumentum emere debuisset, iis decretum vendidisset.* —

Item: p. Rosc. C. 47; i. Verr. l. III 4; de har. resp. 3; p. reg. Deiot. 3; Phil. V 7;

2. Interdum cum pronomen relativum relativa vi usurpatur, ut supra, potest fieri, ut id, quod pronomini relativo antecedit, quoddam sit nomen substantivum, quod comprehensione relativa tamquam enuntiato attributivo definiatur, velut:

in Verr. l. I 90: *Sunt Romae legati Milesii, homines nobilissimi ac principes civitatis, qui, tametsi mensem Februarium et . . exspectant, tamen hoc tantum facinus non modo negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterunt.*

Item: de or. I 231 (*qui, cum*), II 311 (*quae, etsi*); Br. 16 (*qui, cum*) 279 (*qui, si*); p. Quinct. 24 (*qui, ut*); 74. (*qui, cum*); in Caecil. 52 (*qui, si*); in Verr. l. II 95 (*quae, ut*); l. III 28 (*qui, cum*); l. V 110 (*qui, quia*) p. Arch. p. 13 (*quae, quantacumque*); or. c. sen. gr. eg. 3 (*qui, cum*); de dom. 7 (*qui, cum*); p. Sest. 39 (*qui, quod*); 57 (*qui, si*); p. Mil. 1 (*qui, quocumque*); 8 (*qui, cum*); Phil. XIV 27 (*qui, antequam*); acad. pr. II 130 (*qui, cum*); de fin. II 53 (*qui, quicquid*); IV 40 (*quae, ut*); V 22 (*qui, cum*); de div. I 111 (*qui, ut*); de off. I 84 (*qui, cum*); ad fam. XV 16, 3 (*qui, postquam*); ad Att. I 16, 2 (*qui, dum*); VII 17,1 (*qui, cum*).

3. Denique haec forma occurrit etiam cum relativum demonstrativam vim habet:

de re p. III 5: *aut quid P. Scipione, C. Laelio . . . perfectius cogitari potest? qui, ne quid praetermitterent, quod . . ., hanc . . . doctrinam adhibuerunt;* (qui = ei enim);

Item: in Verr. l. I 97 (*qui, ut*); l. III 14 (*qui, cum*); e V 3 (*qui, ut*); or. c. sen. gr. eg. 29 (*qui, cum*); ibid (*qui, cum*); or. c. pop. gr. e. 17 (*qui, quia*); in Pis. 38 (*qui, ut*)[1]); Phil. II 12 (*qui, ut*); de

[1]) Quamquam deest posterior pars enuntiati relativi, ex verbis, quae exstant intellegi potest, hic eandem esse formam atque ea de qua agimus.

or. I 126 (*qui, cum*); II 57 (*qui, cum*); de or. III 98 (*quae, tamen, etiamsi*); 192 (*quae, quoniam*); Br. 190 (*qui, cum*); 282 (*qui, quia*); ad fam. IV 5, 1 (*qui, si*); 9, 3 (*quae, etiam si*); VII 3,6 (*qui, si*); XII 17, 1 (*quae, quia*); ad Att. III 13, 2 (*qui, ut*); VI 3, 5 (*qui, quia*); VII 17, 1 (*qui, cum*); IX 6, 2 (*qui, dum*); X 3a, 2 (*qui, cum*); XIII 3, 1 (*qui, si*); Tusc. disp. I 104 (*qui, cum*); 114 (*qui, cum*); V 37 (*quae, quicquid*); de fato 12 (*quod, ut*); de re p. II 40 (*qui, cum*).

Eadem forma, sed:

1. in continuatione orationis:

de re p. I 47: *qua* (i. e. libertate) *quidem certe nihil potest esse dulcius et quae, si aequa non est, ne libertas quidem est;*

2. cum enuntiatum secundarium ipsum est enuntiatum relativum:

ep. ad Br. I 15, 9: *sed senatus etiam sapiens; qui, qua quemque re putat, modo honesta, ad rem publicam iuvandam posse adduci, hac utitur.*

Item: p. Quinct., 46 (*qui, quo tempore*); de nat. deor. III 13 (*qui, quae*).

Postquam plurima huius partis exempla, ratione naturae pronominis relativi habita, consideravimus, nunc ad reliquas formas transeamus.

Prior pars enuntiati relativi ex subiecto (i. e. pronomine relativo) et alia eiusdem enuntiati parte constat:

p. Cael. 67: *qui se nunquam profecto, si in istum locum processerint, explicabunt;* ad fam. VIII 12, 1: *qui me odisse, quia magna mihi debebat beneficia, coepit;* de prov. cons. 12: *qui est, etiam si non appellatur, hostis.*

Item: de or. I 1 (*qui . . . cum*); III, 98 (*quae . . . etiam si*); part. or. 117 (*qui . . . nisi*); p. Caecin. 33 (*qui . . . cum*); p. Cluent. 31 (*qui . . . cum*); p. Arch. p. 16 (*qui . . . si*); or. c. sen. gr. egit 29 (*qui . . . cum*); p. Sest. 40 (*qui . . . quamquam*); p. Cael. 45 (*quod . . . etiam si*); p. Flacc. 106 (*qui . . . quoniam*); in Pis. 20 (*qui . . . ne*); p. Marcell. 8 (*quae . . . ut*); Phil. II 33

(*qui . . . cum*); XII 19 (*qui . . . cum*); ad Att. VII 5, 2 (*quem . . etsi*); ad Att. X 8 A, 2 (*qui . . . etsi*, Antonius scribit); de fin. IV 56 (*qui . . . si*); de leg. I 24 (*quae . . . etiam si*); de re p. I, 60 (*quod . . . nisi*); fragm. in toga cand. pg. 942, vv. 39 sq. (*qui . . . cum*); Hortens. pg. 986, vv. 40—41 (*qui . . . cum*).

Eadem forma in continuatione orationis:

de or. I 57: *Cogebat enim me Marcellus hic noster, qui nunc aedilis curulis est et profecto, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset.*

Interdum postponuntur pronomini relativo duae sententiae particulis *et—et* coniunctae:

de fin. I 72: *quae et a falsis initiis profecta vera esse non possunt, et, si essent vera, nihil afferent;* de leg. I 52: *quae et, cum adsunt, perparva sunt, et, quam diu adfutura sint, certe sciri nullo modo potest;*

vel particulis *neque—et*:

p. Balb. 56: *tum pecuniam L. Cornelii, quae neque invidiosa est et, quantacumque est, eius modi est, ut . . . videatur;*

vel *aut—aut*:

de or. I 237: *qui aut, cum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quae maxima essent . . . tractare auderent . . . cum ea nescirent nunquamque didicissent.*

Sicut duo enuntiata relativa eiusdem ordinis et ad idem nomen spectantia coniungi possunt, ita duae comprehensiones relativae:

ad Q. fr. I 16, 45: *Sed ego, qui, cum tua lego, te audire, et qui, cum ad te scribo, tecum loqui videor, idcirco et tua . . . epistola delector et . . .*

Item: ad Att. VII 2, 4 (*qui, cum omnia*).

Cum inter partes enuntiati relativi duo enuntiata collocantur, exsistit haec forma:

de or. III 74: *Ego enim sum is, qui, cum summo studio patris . . . doctus essem et in forum ingenii tantum . . . detulissem, non possim dicere me . . .*

Item: de or. III 59 (*qui, cum ... abundarent*); in Verr. l. II 113 (*qui .... cum ... cumque*).

In qua forma cum alterum enuntiatorum aliud subiectum habet, oritur singularis conformatio in qua per oppositionem notio pronominis relativi exprimitur demonstrativo ille in enuntiato secundario; tale exemplum hoc unum invenimus:

Br. 217: *qui in iudicio privato vel maximo, cum ego pro Titinia Cottae peroravissem, ille contra me pro Ser. Naevio diceret, subito totam causam oblitus est idque veneficiis et cantionibus Titiniae factum esse dicebat.*

Cum pronomen relativum ad demonstrativum sequens spectat, tunc enuntiatum relativum cum enuntiato secundario interposito priorem facit partem orationis, cui pars posterior respondet, quae a pronomine *is* incipere solet:

Tusc. disp. I 86: *Qui, si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates!* De opt. gen. or. 8: *Qui, cum careant omni vitio, non sunt contenti ... sed vires ... quaerunt ..., eos imitemur;* in. Verr. l. II 155: *Qui, si te publice laudarent, tamen id more potius suo quam merito tuo facere viderentur, ii cum de tuis factis ... conqueruntur, nonne hoc indicant, tantas ... ?*

Denique pro enuntiato secundario saepe enuntiatum quod dicitur participiale usurpatur:

de off. II 25: *Quid enim censemus .... Dionysium quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillum?* (dici potuit: qui, cum cultros metueret ....)

Item: de inv. II 154; de or. II 16; III 221; top. 39; p. Caecin. 60; p. Cluent. 137; in Cat. IV 3; or. c. pop. gr. egit 11; de dom. 119; Phil. XI 13; ad fam. VI 6, 6; ad Att. VIII 11 D., 4; ad Br. I 4, 2; de fin. III 7; V 36; Tusc. disp. II 13; 47; de nat. deor. II 115; de div. I 39; II 121; de

re p. II 8; 67; III 25; de leg. I 30; III 26; Timae. cap. IX ex. pg. 1005 v. 12; cap. X m. pg. 1006 v. 1; cap. XIV m. v. 15 et multi alii similes loci. —

b. Enuntiatum secundarium postponitur:

Cum pronomen relativum vel eius notio arcte cum verbo enuntiati primarii coniungitur, tunc aut interpungitur commate post pronomen relativum et enuntiatum secundarium interponitur, ut supra vidimus, aut pronomen relativum cum reliqua parte enuntiati primarii una anteponitur et enuntiatum secundarium postponitur; nonnunquam usurpatur haec eadem forma concinnitatis vel numeri causa, vel cum is qui scribit aut dicit enuntiato secundario unum aut plura alia enuntiata apponere vult, ut orationem continuet:

Br. 175: *qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus et in eas petitionis angustias incidisset;* de or. II 75: *Nec mihi opus est Graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet, cum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium adspexerit.*

Item: de or. I 103 (*qui — cum*); 155 (*quae — dummodo*): 183 (*qui — cum*); III 192 (*qui — in quacumque*): Br. 53 (*qui — ut*); 79 (*qui — cum*); 80 (*qui — cum*); 270 (*qui — cum*); or. 171 (*qui — cum*): part. or. 25 (*quae — si*): p. Rosc. A. 93 (*qui — ut*); 112 (*qui — nisi*); p. Rosc. C. 20 (*qui — ne*); p. Mil. 9 (*qui — cum*); Phil. X 7 (*qui — ne*); XI 13 (*qui — cum*); ad Att. VIII 12 B., 2 (*qui — ut;* Pompeius scribit); 16,2 (*qui — cum*); XI 22, 2 (*qui — nisi*): acad. pr. II 74 (*qui — nisi*); de fin. III 8 (*qui — si*); 21 (*quod — quamquam*); V 71 (*qui — si*): Tusc. disp. II 20 (*qui — cum*): 45 (*qui — quamvis*): de div. II 43 (*quod idem — si*): de off. III 119 (*qui — si*): de leg III 47 (*qui — nisi*). —

Nonnunqam eadem structura conformari potest, cum enuntiatum secundarium est interrogatio obliqua aut enuntiatum substantivum:

de or. II 137: *Quae vero, cum de facto non ambigitur, quaeruntur qualia sint, ea si ex reis numeres, et innumerabilia sunt et obscura;* ad Att. VI 1,10: *qui declaravit quanti me faceret, cum saepe, tum in Bursa;* Tusc. disp. V 40: *Nam qui timebit ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit.*

Notetur quoque haec implicata forma: acad. pr. II 124: *quod intellegi quale sit vix potest;* qua duo enuntiata implicant suas partes.

Non prorsus eadem est natura huius structurae atque eius quae occurrit in locis qui his tribus proxime praecedunt; mittamus, quod enuntiata substantiva et interrogationes obliquae aliter se habent atque enuntiata adverbialia; huc additur etiam quod structura I nulla alia re in his tribus locis exsistit nisi attractione quadam, qua pronomen relativum disiungitur a suo verbo et, cum arcte cum verbo primario coniungitur, facit enuntiatum primarium quod antecedit:

pro his formis quae sunt:

Quae qualia sint quaeritur
qui quanti me faceret declaravit
qui ne quid deperdat timebit

usurpantur formae, quas supra attulimus. — Hoc efficitur prolepsi quae dicitur; quae res fortasse in his locis dubia videtur, quia cum casus idem sit, pronomen relat. nullam subit mutationem. — Sed nunc haec tantum; de toto huius rei genere alias plura dicemus. —

Pro enuntiato secundario ponitur enuntiatum participiale quod dicitur:

Tusc. disp. II 3: *qui iam conticuerunt paene ab ipso foro inrisi* (potuit dici: cum paene ab i. f. inrisi essent); ad Att. IX 10, 3: *nefarius Hippias Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit arma contra patriam ferens* (pro: cum arma c. p. ferebat).

Denique non sunt praetereundae conformationes, in quibus a pronomine relativo duo enuntiata eiusdem ordinis, particulis *neque—neque*, *vel—vel* et aliis similibus coniuncta, incipiunt:

de nat. deor. II 26: *quae* (i. e. aqua) *neque conglaciaret frigoribus neque nive pruinaque concresceret, nisi eadem se admixto calore liquefacta et dilapsa diffunderet.*

Id cum fit priori enuntiato postponi potest enuntiatum secundarium:

Br. 267: *qui et scriptitavit accurate, cum praesertim non esset orator, et egit multa constanter.*

Item: ad Att. XI 6, 1 (*qui quidem—cum*).

Idem sed posteriori enuntiato:

de leg. II 60: *quae et recte tolluntur, neque tollerentur nisi fuissent.*

Chiasmus cum fit priori enuntiato postponitur, posteriori interponitur enuntiatum secundarium:

Br. 76: *qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti.*

Eorum quae ostendimus, cum summam facimus, haec sunt propria structurae I, in qua relativum casu nominativo effertur:

1. Notio pronominis relativi in enuntiato secundario aut in alio casu atque nominativo (30^{ies}) aut in eodem casu (220^{ies}) occurrit; cum alius est casus, notio relativi exprimitur fere semper in enuntiato secundario; idque fit: 21^{ies} pronomine *is*; bis pronomine personali; 4er pronomine reflexivo; semel pronomine *ipse*; bis non exprimitur. Cum idem est casus, notio relativi non exprimitur in enuntiato secundario; tamen exprimitur uno loco (Br. 217), sed est eo loco causa peculiaris.

2. Enuntiatum secundarium aut interponitur, quod 197^{ies} fit (22^{ies}, cum alius est casus, 175^{ies}, cum idem

est casus), aut postponitur, quod 53er occurrit (8^{ies}, cum alius, 45^{ies}, cum idem est casus).

3. Enuntiatum secundarium perraro potest esse interrogatio obliqua (bis tantum hoc notavimus) aut enuntiatum substantivum (bis).

4. Interdum spectat pronomen relativum ad ea quae sequuntur (qui—is); quod 7^{ies} in venimus: cf. Tusc. disp. I 86.

5. Saepius, cum enuntiatum secundarium interponitur, prior pars enuntiati relativi constat tantum ex pronomine relativo: cf. de dom. 139; sed nonnunquam etiam ex alia quadam parte enuntiati relativi: cf. Phil. XIV 17.

6. Cum enuntiatum secundarium interponitur, potest fieri ut illud ipsum alterum sit enuntiatum relativum: cf. in Verr. l. V. 55.

7. Inter partes enuntiati relativi possunt interponi duo enuntiata secundaria eiusdem ordinis: de off. I 108; Br. 217.

8. A pronomine relativo incipiunt duo enuntiata relativa primaria particulis *et—et*, *vel—vel*, *aut—aut*, et aliis similibus, aut simplici quadam particula coordinativa coniuncta; quod cum fit, aut utrique enuntiato relativo interponitur vel postponitur quoddam enuntiatum secundarium: cf. ad Q. fr. I 16, 45, aut tantum alterutri: Br. 269.

9. Pro enuntiato secundario poni potest locutio vel enuntiatum participiale quod dicitur: Tusc. disp. II 3.

10. Unum exemplum invenimus, ubi pronomen relativum subaudiri videtur: in Verr. l. II 29.

2. Genetivus.

Quod exempla, quae pronomen relativum in casu genetivo exhibent, perraro occurrunt, ex natura ipsa istius casus sequitur; nam hic casus aeque ac dativus

et ablativus eo fungitur munere, quod in enuntiato non tam magni est momenti.

a. Enuntiatum secundarium interponitur:

Genetivus pronominis relativi, ut par est, cum arcte cum suo nomine coniungatur, brevi enuntiato interposito ab eo secedere solet:

de prov. cons. 8: *cuius, ut provinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certavit, ut nemo posset, utrum protervior an infelicior esset, iudicare;* de imp. Cn. Pomp. 13: *cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intellegunt ac retardatos.*

Item: de fin. IV 23 (*cuius quidem, quoniam*); Tusc. disp. IV 49 (*cuius. ut*).

Pro enuntiato secundario potest forma participialis usurpari, quae necessario cum pronomine relativo congruit:

p. Mur. 34: *cuius expulsi et eiecti vita tanti existimata est, ut* et q. s. (potuit dici: cuius, cum expulsus . . . esset, vita . . .).

Item: acad. pr. l. II fragm. 6 (*cuius et nascentis*).

Prior pars enuntiati relativi constat praeter pronomen relativum etiam ex alia parte enuntiati relativi: cf. exempla supra allata: de imp. Cn. Pomp. 13; de fin. IV 23.

b. Enuntiatum secundarium postponitur:

Cum pronomen relativum arctissime cum suo nomine coniungitur et cum enuntiatum secundarium longius est, usurpat Cicero formam, in qua enuntiatum secundarium sequitur:

p. Rabir. P. 3: *cuius in negotiis gerendis magnitudinem animi non tam homines probassent, nisi in eodem benignitas incredibilis fuisset;*

Item: de or. III 60 (*cuius ingenium—cum*); p. Rosc. A. 145 (*cuius ante—quam*); p. Mil. 32 (*cuius—cum*); 75 (*quorum utrique-nisi*); de nat. deor. III 56 (*cuius—quod*).

Huius partis haec sunt propria:

1. Notio pronominis relativi in enuntiato secundario alio casu atque genetivo effertur; quod cum fit exprimitur illa: semel demonstrativo *is*; semel pronomine *ipse* pro *is ipse* posito; semel pronomine *idem;* semel pronomine *ille;* semel nomine ipso (*Socrates*: cf. de orat. III 60); 7ies non exprimitur;
2. Enuntiatum secundarium aut interponitur (6ies) aut postponitur (6ies);
3. Saepius, cum enuntiatum secundarium interponitur, prior pars enuntiati relativi constat tantum ex pronomine relativo: de prov. cons. 8; nonnunquam etiam ex alia parte: de imp. Cn. Pomp. 13;
4. Pro enuntiato secundario potest poni locutio participialis: p. Mur. 34.

3. Dativus.

a. Enuntiatum secundarium interponitur:

in Verr. l. II 138: *quibus, si quid commisissent, poenae legibus erant constitutae;* ibid. l. III 226[1]): *quibus, cum decumas dare deberent, vix ipsis decumae relictae sunt;*

Item: in Verr. l. III 150 (*cui, si*); p. Cael. 40 (*quibus, cum*).

Prior pars enuntiati relativi pronomine relativo et alia eiusdem enuntiati parte constat:

ad fam. IV 1, 1: *cui quidem ego, me cum rogaret ut adessem in senatu, eadem omnia, quae a te de pace et de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum.*

Item: de nat. deor. II 160 (*cui quidem, ne*):

---

[1]) coniunge quibus ipsis (E. T. Zumptius in editione sua ad h. l.); atque ita post *quibus* distinguendum est.

Inter partes enuntiati relativi collocantur duo enuntiata secundaria eiusdem ordinis et in quibus notio relativi occurrit:

Phil. V 28: *quibus, cum consulem non modo reliquissent, sed bello etiam persequerentur, honores et praemia spopondistis.*

Item: p. Caecin. 48 (*cui, cum*).

Cum a pronomine relativo duo incipiunt enuntiata relativa eiusdem ordinis, inter partes posterioris enuntiati collocatur enuntiatum quoddam secundarium:

de or. III 98: *quibus tamen non modo austeri sed, si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamat.*

Pro enuntiato secundario ponitur locutio participialis, cuius participium necessario cum pronomine relativo congruit:

p. Caecin. 64: *non esse deiectum eum, cui vi et armis ingredienti sit occursum* (pro cui, cum vi et armis ingrederetur . . .);

Item: de or. III 11 (*cui efflorescenti*); de imp. Cn. Pomp. 18 (*quibus—absentibus*); p. Sest. 118 (*cui—petenti*); ad fam. VIII 11, 2 (*quibus—interpellantibus*; Caelius scribit); ad Att. V 2, 1 (*cui deposcenti*); de fin. II 57 (*cui—facienti*); de div. I 123 *quibus —quaerentibus*).

b. Enuntiatum secundarium subsequitur:

de fin. I 8: *Quibus ego assentior, dummodo de isdem rebus ne Graecos quidem legendos putent;* Tusc. disp. V 108: *cui tamen illud ipsum non accidisset, si in republica quiescens Epicuri legibus paruisset.*

Item: in Verr. l. I 111 (*cui—nisi*); ad Att. VIII 9, 4 (*cui —nisi*): XIII 10, 3 (*cui—si*).

A pronomine relativo incipiunt duo vel plura enuntiata relativa eiusdem ordinis, quorum alicui enuntiatum secundarium postponitur:

ad Att. X 16, 1: *cui quidem non modo placabilem me praebuissem, sed totum remisissem, si advenisset, qua mente tu ad me scripseras.*

Pro enuntiato secundario ponitur enuntiatum participiale:

p. Rabir. P. 35: *Quid ergo? ista condicio est testium, ut, quibus creditum non sit negantibus, isdem credatur aientibus?*

Quo loco praeterea notetur, totam comprehensionem subiunctam esse particulae *ut.* — (negantibus = cum negabant.)

Pronomen relativum refertur ad ea quae sequuntur: cf. exemplum supra allatum. —

Enuntiatum secundarium est enuntiatum substantivum:

de fin. III 28: *Et quoniam is, cui contingit ut iure laudetur, habet insigne quiddam ad decus et ad gloriam* et q. s.

Item: ad Att. VII 17, 5 (*quibus — ut*); Tusc. disp. I 114 (*cui — ut*) de div. II 90 (*quibus — ut*);

Exemplorum huius generis haec sunt propria:

1. Notio pronominis relativi in utroque enuntiato alium casum praebet, qui casus est nominativus in enuntiato secundario; atque cum id fit notio relativi non exprimitur;
2. Enuntiatum secundarium potest aut interponi (17 ies) aut postponi 11 ies);
3. Cum enuntiatum secundarium interponitur, pars prior enuntiati relativi constat aut solo pronomine relativo: in Verr. l. II 138 aut etiam alia parte: fam. IV 1, 1;
4. Enuntiatum secundarium potest esse enuntiatum substantivum (4 er): de fin. III 28;
5. Nonnunquam spectat pronomen relativum ad ea quae sequuntur;

6. Inter partes enuntiati relativi possunt interponi duo enuntiata secundaria eiusdem ordinis: p. Caecin. 48;
7. A pronomine relativo incipiunt duo enuntiata relativa eiusdem ordinis, quorum posteriori interponitur vel postponitur enuntiatum secundarium: de or. III 98;
8. Pro enuntiato secundario ponitur saepe locutio participialis: ad fam. VIII 11, 2.

4. Accusativus.

Multi sunt loci huius generis et maxime varias formas praebent.

a. Enuntiatum secundarium interponitur:

Pars prior tantum pronomine relativo constat:

p. Quinct. 28: *Expulsus . . Quinctius . . . confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in provincia; quem, ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino;* Phil. II 17: *quem*[1]*, quia iure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis esse superatum;*

Item de or. I, **134**: (*quos, cum*).

Pars prior praeter pronomen relativum etiam alia parte constat:

in Verr. A I 31: *quem ego hominem, si eius fidei*

---

[1]) Hic locus paulo aliter legitur in codicibus:

quem, quia iure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis eum esse superatum (cod. V);

quem, quia iure ei i. f., dol. a te omn. vitiis iam esse superatum (D sive consensus codd. a b g t);

Orellius pronomen *eum* pro spurio habens uncis saepsit; illum sequitur Kayserus.

Muellerus (C. F. W.), lectionem in D exhibitam cum magni facit, scribit: *quem, quia iure ei i. fui, dol. a te om. vitiis iam esse sup.* quam lectionem Clark (A. C.) (in editione sua: Oxonii 1900) pro vera habet.

diffisus essem, iudicem non retinuissem. de har. resp. 40: *quem* (i. e. errorem) *quidem ille, quod obscurus non erat, facile perspexit;* de or. II 188: *quae mehercule ego, Crasse, cum a te tractantur in causis, horrere soleo.*

Item. or. 119 (*quem — quo*); p. Arch. p. 25 (*quem — cum*); p. Flacc. 66 (*quos — quo*); de dom. 134 (*quem — si*); ad fam. VII 1, 3 (*quae — si*); 32, 3 (*quam — quamvis*); ad. Att. VII 52 (*quem — etsi*); XI 3, 2 (*quae — ut*); ad Q. fr. I 1, 10 (*quem — cum*); Tusc. disp. I 84 (*quem — cum*); de off. I 14 (*quodque — etiamsi*).

Occurrunt etiam loci in quibus notio pronominis relativi in utroque enuntiato eundem casum praebet:

Stuerenburgus hunc locum ita emendavit: *cui cum iure inimicus fui, doleo a te om. vitiis eum esse superatum;* quem virum doctum praeter alios Halmius sequitur in editione VI Berolini anno 1886 prolata, sed antea, in editione IV (1870) idem Halmius *quem quia iure ei inim. f., doleo a te om. vitiis esse superatum* legebat.

Primum ratione palaeographica maxime fit verisimile vocabulum *iam* quod D exhibet a pronomine *eum* in cod. V, quod pronomen supervacaneum esset, fluxisse; deinde hoc idem vocabulum (*iam*) in sensum totius loci nullo modo quadrare potest. Quantum ad Stuerenbergi emendationem attinet, profecta est illa a pronomine *eum*, quod in cod. V legitur; cuius pronominis lectionem cum ille explicare vellet, censuit textum corruptum esse et emendavit ut iam supra ostendimus. Sane, quantum ad rationem grammaticam et ad sensum pertinet utrumque potest:

quem, quia iure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis esse superatum;

cui quia iure inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis eum esse superatum;

Sed ob has ipsas causas atque ob codicum traditionem Stuerenbergi emendatio (*cui cum* pro *quem, cum — ei*) non necessaria; pronomen autem *eum* additamento alicuius imperiti librarii explicari potest; quod additamentum et palaeographica praesertim et grammatica ratione, et sensu multo. facilius admitti potest quam ut verba, quae sunt:

cui cum iure inimicus fui, doleo a te et q. s.;

mutentur cum verbis: *quem, cum iure ei inimicus fui, doleo* et q. s.

ut Stuerenburgus putat.

de dom. 121: *non dissimulo me nescire ea, quae, etiam si scirem, dissimularem, ne aliis molestus, vobis etiam curiosus viderer;* Br. 173: *sed tamen erant ea in Philippo, quae, qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret.*

Item: p. Cluent. 187 (*quem tu, cum*); ad. fam. I 9, 9 (*quod ego, cum*); ad Att. IV 2, 2 (*quam tibi, etiamsi*); XIII 9 (*quod, nisi*).

Inter partes enuntiati relativi possunt interponi duo vel plura enuntiata secundaria eiusdem ordinis: aut coniuncta inter se particulis coordinativis velut:

ad fam. I 7, 11: *quem nos, et quia tuus, et quia te dignus est filius, et quia nos diligit semperque dilexit, in primis amamus carumque habemus.*

Item: p. reg. Deiot. 23 (*quem—vel quia*)

aut non coniuncta velut:

de nat. deor. I 10: *quos ferunt, si quid adfirmarent in disputando, cum ex eis quaereretur, qua re ita esset, respondere solitos „ipse dixit";*

Item: de fin. II 65 (*quem quidem — cum*); de re p. I 12 (*quos ego — quoniam*).

Etiam cum notio pronominis relativi tantum in alterutro ennuntiato occurrit:

de leg. III 18: *Quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videbatur, tamen adprobante senatu . . ., nisi mihi . . . tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem.*

Cum duo enuntiata eiusdem ordinis inter se particulis coordinativis coniuncta aut non coniuncta a pronomine relativo incipiunt, tunc vel utrique vel alterutri ennuntiatum secundarium interponitur:

de dom. 22: *quas aut nunquam tibi ille litteras misit aut, si misit, in contione recitari noluit*; or. c. sen. gr. egit 32: *quem ego inimicum mihi fuisse non dico, tacuisse, cum diceretur esse inimicus, scio* (ἀσυνδέτως); p. Rosc. com. 46: *Quem ego, ut mentiatur, inducere possum, ut peieret,*

exorare facile potero; *(ἀσυνδέτως.)* Ad. Att. X 13, 2: *quod ego nec rogaturus eram nec, si impetrassem, crediturus.*

Cum pro enuntiato secundario locutio participialis ponitur, mutatur verbum finitum eius enuntiati cum participio, quod cum pronomine relativo congruens ut adiectivum quoddam a verbo primario pendet:

in Verr. l. IV 17: *quam ereptam non tanto opere desiderat;* (potuit dici: quam, cum erepta sit, non .... desiderat.) —

Item: in Cat. IV 15 (*quos revocatos*); de har. resp. 56 (*quos — progredientes*); p. Planc. 86 (*quos — florentes*); ad fam. XII 25, 4 (*quem — ructantem*); ad Att. X 9 A., 2 (*quos resistentes;* Caelius scribit); de re p. II 69 (*quem immutatum*).

b. Enuntiatum secundarium subsequitur:

Br. 131: *quem ego audivi iam senem, cum ab L. Sabellio multam lege Aquilia damni iniuria petivisset;* de fin. III 17[1]): *quos delectari videamus, etiam si eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi invenerint;* — p. Mil. 10: *quos* (i. e. gladios) *habere certe non liceret, si uti illis non liceret.* —

Item: in Pis. 83 (*quem — cum*); ad Att. II 17, 3 (*quod — si*); XIII 49, 1 (*quod — ac si*); Tusc. disp. V 102 (*quos — cum*); de off. II 86 (*quas res — quod*); de re p. II 37 (*quem — cum*). —

In utroque enuntiato occurrit idem casus accusativus nominis, quod notionem pronominis relativi exprimit:

de div. I 69: *quas* (i. e. naves onerarias) *incenderant milites, quia sequi noluerant*; ad. fam. X 30, 2: *quas* (i. e. cohotres praet.) *sequi coepimus coacti, quoniam retineree as non potueramus;* ad. fam. I 9, 23: *quos iam pridem at te misissem, si esse edendos putassem;*

---

[1]) In hoc exemplo pro enuntiato secundario est comprehensio quaedam, quae constat ex enuntiato substantivo et locutione a qua illud pendet.

Item: Br. 5 (*quod—ne*); or. 103 (*quae exempla—nisi*): ad. Att. II 22, 2 (*quem—cum*); XII 14, 3 (*quem—si*); Tusc. disp. V 6 (*quam—etiamsi*):

Enuntiatum relativum subsequuntur duo enuntiata secundaria inter se particulis coordinativis coniuncta:

ad. fam. V 13, 3: *quae persequerer, si aut melius ea viderem, quam tu vides, aut commemorare possem sine dolore;* ad Att. V 20, 9[1]): *quem, ut puto, Romam cum litteris publicis mittam, ut et diligentius perferantur et idem ad me certa de te et a te referat.* —

A pronomine relativo incipiunt duo enuntiata eiusdem ordinis inter se particulis coordinativis coniuncta et quorum aut utrique aut alterutri enuntiatum secundarium postponitur:

Br. 216: *Motus erat is, quem et C. Julius in perpetuum notavit, cum ex eo . . . quaesi vit „Quis loqueretur e lintre“ et Cn. Sicinius, homo impurus, sed admodum ridiculus.*

Item: or. 237 (*quod aut—aut*); de nat. deor. II 142 (*quas—ut*):

Enuntiatum secundarium potest esse interrogatio obliqua aut enuntiatum substantivum:

p. Planc. 52: *neque vero quo te liberent aliqua culpa, quam tu vereris ne a te suscepta videatur;* ad Att. VII 16, 3: *ad quas scripseram ad te ut referrent;* in Verr. l. V 15: *quod nuper ipse iuratus docuit quemadmodum gestum esset*; ad Att. XIV 1, 1: *quod haud scio an ita sit;*

Item: de or. I 258 (*quod—ne*): III 173 (*quod—ne*): or. 211 (*quae—cur*): p. Quinct. 79 (*quod—ut*); p. Arch. p. 1 (*quod—quam*): Phil. II 47 (*quae—ut*): ad Att. VIII 7, 2 (*quae—ne*): acad. pr. II 126 (*quae—ne*); de fin. V 3 (*quem—quam*); de re p. II 51 (*quem—ut*):

---

[1]) in priore enuntiato secundario non occurrit notio pronominis relativi.

Pronomen relativum refertur ad ea quae sequuntur et enuntiatum secundarium cum enuntiato relativo priorem facit orationis partem:

p. Quinct. 35: *Quod tibi natura dat ut semper possis, id mihi causa concedit, ut hodie possim.*

Enuntiatum secundarium ita postponitur, ut correctionem quandam facere videatur:

ad Att. I 18, 4: *Est autem C. Herennius quidam tribunus pl., quem tu fortasse ne nosti quidem — tametsi potes nosse.*

Locorum in hac parte allatorum haec sunt propria:

1. Notio pronominis relativi occurrit in enuntiato secundario aut in alio casu atque accusativo: (43er) aut in eodem casu accusativo, (27^ies^); cum alius est casus, notio relativi nonnunquam (12^ies^) exprimitur in enuntiato secundario idque fit: 7^ies^ pronomine *is*; bis pronomine *ille*; bis pronomine *ipse*; semel pronomine *idem*; saepius autem non exprimitur (31); cum idem est casus 4 exprimitur notio relativi idque fit (3er) pronomine *is*; semel pronomine *hic*. 19^ies^ non exprimitur.
2. Enuntiatum secundarium 40^ies^ interponitur (in quo numero sunt etiam 8 loci in quibus locutio participialis occurrit); 38 subsequitur.
3. Enuntiatum secundarium potest esse interrogatio obliqua: in Verr. l. V 15 aut etiam enuntiatum substantivum, velut: p. Planc. 52.
4. Pronomen relativum potest referri ad ea quae sequuntur: p. Quinct. 35.
5. Cum enuntiatum secundarium interponitur, pars prior enuntiati relativi constat saepius pronomine relativo et alia quadam parte eiusdem enuntiati; velut: p. Flacc. 66; rarius tantum pronomine relativo: p. Quinct 28.

6. Inter partes enuntiati relativi possunt interponi duo enuntiata secundaria eiusdem ordinis aut coniuncta inter se particulis coordinativis, velut: p. reg. Deiot. 23, aut non coniuncta et quae no nconiungi possunt, ut: de nat. deor. I 10.
7. Cum duo enuntiata eiusdem ordinis, coniuncta inter se aut non coniuncta particulis coordinativis, a pronomine relativo incipiunt tunc aut utrique enuntiato interponitur vel postponitur enuntiatum quoddam secundarium velut: p. Rosc. C. 46 aut tantum alterutri: Br. 216.
8. Pro enuntiato secundario poni potest locutio participialis: p. Planc. 86.
9. Enuntiatum secundarium potest esse alterum enuntiatum relativum: Br. 173.

5. Ablativus.

a. Enuntiatum secundarium interponitur:

p. Flacc. 25: *in hoc ego reo ne quod perniciosum exemplum prodatur, in quo, etiam si quid errasset, omnes boni conivendum esse arbitrarentur?* acad. pr. II 10: *Dicam enim nec mea nec ea, in quibus, si non fuerint, vinci non malim quam vincere.*

Notio pronominis relativi in eodem casu ablativo in utroque enuntiato:

p. Quinct. 9: *et in eius modi rebus opes suas experiuntur, in quibus, quo plus propter virtutem . . . possunt, eo minus quantum possint debent ostendere.*

Item: p. Mil. 19 (quo, si).

Prior pars enuntiati relativi constat praeter pronomen relativum etiam ex alia parte:

p. Sest. 133: *de quo ego, cum cotidie rueret, verbum feci, iudices nunquam.* ad Att. VII 15, 1: *non quo*

haberem magno opere quid scriberem, sed ut loquerer tecum absens; quo mihi, cum coram id non licet, nihil est iucundius. de nat. deor. II 160: *qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius.*

b. Enuntiatum secundarium postponitur:

ad Att. I 13, 2: *a quo nihil speres boni rei publicae, quia non vult.*

Item: Tusc. disp. I, 92 (*a qua — ut*); II 44 (*a qua — antequam*).

Enuntiatum secundarium potest esse interrogatio obliqua:

p. Cael. 67: *ex quibus requiram quemadmodum latuerint aut ubi.*

Item: ad Att. V 21, 2 (*de quibus — quid*).

Pro enuntiato secundario locutio participialis:

de nat. deor. I 83: *Et quidem laudamus Athenis Volcanum eum, quem fecit Alcamenes, in quo stante atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis.* (Potuit dici: in quo, cum stat et leviter vestitus, est, apparet et q. s.)

Item: de inv. II 120 (*quo non adscripto*); de nat. deor. II 148 (*ex quibus collatis*).

Haec propria:

1. Notio pronominis relativi praebet in enuntiato secundario fere semper alium casum atque ablativum; isque est nominativus; qui casus tantum in uno ex omnibus, quos invenimus, locis, exprimitur; idque pronomine *is*; in 11 exemplis non exprimitur.
2. Enuntiatum secundarium aut interponitur (10^{ies}) aut postponitur (5^{ies}).
3. Pars prior enuntiati relativi potest constare ex relativo aut tantum: p. Flacc. 25, aut etiam ex alia parte praeter relativum: p. Sest. 133.

4. Enuntiatum secundarium potest esse interrogatio obliqua: p. Cael. 67.
5. Pro enuntiato secundario locutio participialis usurpari potest.

De structura I cum enuntiatum substantivum vel interregatio obliqua occurrit.

Nunc iam pauca de locis structurae I dicam in quibus enuntiatum substantivum vel interrogatio obliqua occurrit.

Consideremus aliquot huius generis exempla velut:

p. Planc. 52: *quam tu vereris ne a te suscepta videatur;* ad Att. VI 1, 10: *qui declaravit quanti me faceret;* quem nosti quam tardus sit; (cf. exemplum ad fam. VIII 10, 3: *Nosti Marcellum quam taraus sit.*);

Orationis conformatio quae his tribus locis inest, persimilis primum videtur ei, quae occurrit exempli causa:

in Verr. l. II 53: *qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hereditas;*

sed re vera multum inter has conformationes differt; quod accurate ostendam:

Locus qui legitur in orat. in Verr. l. II 53 potest has exhibere formas:

1. qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hereditas (Structura I; enunt. sec. postpositum);
2. qui, nisi ei venisset hereditas, bona non perdidisset (Structura I; enunt. sec. interpositum);
3. cui nisi venisset hereditas, bona non perdidisset (Structura II; i. e. pronomen relativum sequitur constructionem enuntiati secundarii et eius notio subauditur vel exprimitur in enuntiato primario);

Loci primus et tertius exhibent has formas:

1. quam tu vereris ne suscepta videatur (Struct. I; en. sec. postp.)
quem nosti quam tardus sit (Struct. I; en. sec. postp.)

2. quam tu, ne a te suscepta videatur, vereris (Quae forma dubia est; Struct. I; en. sec. interp.)
quem, quam tardus sit, nosti (Quae forma dubia est; Struct. I; en. sec. interp.)

3. quae ne a te suscepta videatur vereris (Saepe occurrit; Structura III; i. e. pronom. relat. sequitur constructionem enuntiati secundarii et eius notio nec subauditur nec exprimitur in enuntiato primario;)
qui quam tardus sit nosti (idem ac proxime supra)

4. quae vereris ne a te suscepta videatur (raro, sed invenimus; cf. ad fam. IX 8, 1: *qui metuo ne te forte flagitent;* Structura III; enuntiatum primarium interpositum)
qui nosti quam tardus sit (idem ac proxime supra).

Unde haec observari licet:

Cum pronomen relativum constructionem enuntiati secundarii sequitur: in exemplo quod legitur in orat. in Verr. l. II 53 exsistit structura II; in eo autem, quod ex oratione pro Plancio attulimus, exsistit structura III; deinde: cum in loco ex oratione pro Plancio allato fieri potest ut enuntiatum primarium inter partes enuntiati secundarii ponatur ut: quam vereris ne suscepta videatur, hoc idem, velut: cui bona non perdidisset, nisi hereditas venisset in exemplo ex oratione in Verrem nullo modo dici potest. —

Hae dissimilitudines fiunt eo, quod in loco, qui in orat. in Verr. l. II 53 invenitur, notio pronominis relativi semper et necessario cum utroque verbo, et primario et secundario, coniungenda est, verum in

exemplo ex oratione p. Plancio notio pronominis relativi cum verbo secundario tantum semper et necessario conectenda est; cum verbo primario autem aut coniungitur idque fit fere semper[1]) cum illud verbum proxime post pronomen relativum ponitur, aut non coniungitur, quod ultimum occurrit cum idem verbum primarium post enuntiatum secundarium collocatur[2]): hoc modo exsistunt duae conformationes iam supra commemoratae:

quam vereor ne suscepta videatur
quae ne suscepta videatur vereor

In prima conformatione verbum primarium habet duo obiecta: pronomen quam, deinde enuntiatum secundarium, ne suscepta videatur; in altera vero, unum tantum obiectum, i. e. enuntiatum secundarium quae ne suscepta videatur; quod ultimum nemo nescit proprium esse enuntiatorum substantivorum vel potius comprehensionum ex enuntiato substantivo et primario constantium; in eis[3]) enim enuntiatum substantivum est obiectum enuntiati primarii et enuntiatum primarium ipsum nihil est aliud nisi simplex verbum vel verbo similis locutio quaedam, quae nullum integrum sensum habere potest, nisi adiuncto, velut obiecto, enuntiato substantivo; quare haec duo enuntiata tam arcte inter se coniuncta sunt, ut fere pro uno enuntiato considerari possint.

Quibus dictis facile intellegi potest et illud alterum: cur forma: cui bona non perdidisset, nisi here-

---

[1]) Non semper, ut saepe grammatici propensis unt ut credant: cf. ad fam. IX 8, 1: *qui metuo ne te forte flagitent.* —

[2]) Forma secunda, supra commemorata: quam, ne a te suspecta videatur, vereris, dubia est. —

[3]) Dicimus de enuntiatis tantum substantivis, quae ad nostram rem pertinent, id est, cum enuntiatum substantivum obiectum et non subiectum est enuntiati primarii.

ditas venisset exsistere non potest, cum potest dici: quae vereris ne suscepta videatur: hoc quia verbum primarium *vereris* in: quae vereris et q. s. non necessario, ut vidimus, cum pronomine relativo coniungitur et quia illud verbum solum enuntiatum secundarium pro obiecto habere potest; at in exemplo orat. in Verr. l. II 53, cum inter utrumque verbum — et primarium et secundarium — et pronomen relativum ratio quaedam necessario intercedat, forma cui, bona et q. s. exsistere non potest, quoniam relativum sumit casum a verbo perdidisset petitum, quocum pariter coniungitur, atque ita: cui, bona et q. s. fit: *qui bona non perdidisset, nisi ei hereditas venisset*; quae est structura, unde profecti sumus.

Sed quibus de causis orta est structura: quam vereris ne a te suscepta videatur, cuius naturam iam supra explanare temptavimus? Primum propter concinnitatem quandam; hoc perspicue apparet, cum tales locos consideramus:

p. Planc. 52: *quam tu vereris ne a te suscepta videatur;* p. Archia p. 1: *quod sentio quam sit exiguum;* de or. I 258: *quod mehercule vereor ne huic Catulo videatur esse puerile.*

Quibus locis concinnius cadit oratio quam si dicatur: quod ne huic Catulo videatur esse puerile mehercule vereor vel: quod quam sit exeguum sentio.

Sed gravior altera causa, de qua cum a multis aliis, tum a Steinthalio[1]) dictum est eaque est propensio naturae humanae insita, qua homines in cogitando atque in dicendo a formis abstractis maxime abhorrent.

„Die Hauptreihe geht hier (i. e. in confirmationibus „ut: Nosti Marcellum quam tardus sit) allemal voran „und die in ihr liegende Vorstellung eines transitiven „Verbums nosti hebt unmittelbar das Objekt des Ver-

[1]) Zeitschr. für Völkerpsychol. u. Sprachw. Vol. I, pg. 154.

„bums mit ins Bewußtsein. Dies Objekt wird nun zwar „der grammatischen Form nach durch die ganze fol- „gende Reihe quam tardus sit Marcellus gebildet. „Diese Vorstellungsweise aber hat etwas Abstraktes. „Denn da der Inhalt des Satzes eigentlich im Prädikate „liegt, so ist hier auch das Verbum der angelehnten „Reihe tardus est Objekt des Verbums der Hauptreihe „nosti; das ist sicherlich nicht die lebendige sinnliche „Anschauungsweise. Diese kennt nur Tätigkeiten, „welche von Person auf Person (oder personifizierte „Dinge) gehen: nosti Marcellum; dies gesagt, 2. wird „näher angegeben, in welcher besonderen Beziehung „hier Marcellus in Betracht kommt: quam tardus sit."

Haec igitur structura attractione quadam orta est, nam subiectum enuntiati substantivi, quod, quantum ad rationem logicam et saepe ad rationem grammaticam pertinet, pars est enuntiati secundarii, disiungitur a suo enuntiato et verbo secundario et attrahitur a verbo primario in enuntiatum primarium. Itaque in hac forma, ut in omnibus attractionis generibus, ratio psychologica vicit.

Quantum ad sensum pertinet, cum duas formas conferimus:

quae ne a te suscepta videatur vereris

et: quam vereris ne a te suscepta videatur

hoc interest[1]): prima significat id, quod veremur, altera autem significat primum eam rem, quam veremur et deinde quid maxime ad eam rem pertinens vereamur.

Unum etiam addam: nonnunquam fit, ut verbum primarium praeter obiectum quod est enuntiatum substantivum, alterum habeat obiectum in casu accusativo

---

[1]) Quod attractionis genus grammatici prolepsin vel anticipationem appellare solent.

vel etiam alio casu positum, verum non per attractionem, ut supra (p. Plancio 52), sed secundum rationem logicam; velut:

Att. VII 16, 3: *ad quas scripseram ad te ut referrent;* p. Cael., 67: *ex quibus requiram quem ad modum latuerint aut ubi* (interrog. obliqua); Att. VII 17, 5: *quibus scripseram ut Romae manerent;*
quem rogavit ut hoc ageret (quod exemplum est a nobis conformatum).

Quivis ex his locis, exempli gratia, locus qui legitur in VII ad Att. l. 17, 5 potest has exhibere formas:

quibus scripseram ut Romae manerent;
quibus, ut Romae manerent, scripseram;
qui ut Romae manerent, eis scripseram;

forma talis: qui eis scripseram ut Romae manerent (cf. quae vereor ne suscepta videatur) non potest exsistere.

Unde apparet in talibus locis non prorsus eandem esse structuram atque in exemplo ex orat. p. Planc. 52, eandemque a constructione quae occurrit in orat. in Verr. l. II 53 nihil differre nisi quod enuntiatum secundarium est enuntiatum substantivum et subsequi solet; quare plura de hac structura dicere supervacaneum ducimus. — Hoc tantum addam: hanc conformationem tunc demum exsistere posse, cum verbum vel enuntiatum primarium, praeter obiectum, quod est enuntiatum substantivum, alterum obiectum habet: aut in casu accusativo idque cum verbum primarium duos accusativos postulat, ut: *rogo, postulo* etc., aut in alio casu atque accusativo.

Denique cum verbum primarium idem habet subiectum ac secundarium, oritur constructio velut in:

Tusc. disp. V 40: *qui timebit ne quid ex his deperdat*

quae conformatio solam hanc formam exhibere potest:

qui ne quid ex his deperdat timebit

et in qua verbum primarium, sive postpositum, sive interpositum, semper habet pro obiecto enuntiatum secundarium atque est eodem tempore praedicatum pronominis relativi. Deinde animadvertatur hoc, quod viri docti, quantum scimus, non attenderunt: subiectum enuntiati substantivi, cum a verbo primario attrahitur, non solum casum accusativum, ut in loco orat. p. Planc. 52, sed etiam nominativum, ut in exemplo proxime allato: Tusc. disp. V 40, sumere posse.

Ceterum praeter has res, quae e natura casus nominativi sequuntur nihil de hac conformatione dignum, quod notetur.

Quae dicta sunt de enuntiato substantivo, valent etiam de conformationibus structurae I, in quibus interrogatio obliqua occurrit, ut:

p. Cael. 67: *ex quibus requiram quem ad modum latuerint aut ubi.* —

Ex eis quae praecedunt facile intellegi potest, esse profecto in quadam parte nostram structuram I in locis, in quibus, ut supra, enuntiatum substantivum aut interrogatio obliqua occurrit; sed non idem censemus de exemplis velut:

ad Att. V 2, 1: *cui deposcenti mea mandata cetera universe mandavi*

in quo participium vel locutio participialis deposcenti pro enuntiato secundario ponitur: cum deposceret; nam locutio participialis pariter atque ablativus absolutus qui dicitur et accusativus cum infinitivo in oratione recta, cum verbum finitum non habet, nullum facit enuntiatum, sed pars tantum enuntiati, quod definit. — Aliquot autem eius generis exempla attulimus, quia nonnunquam illae locutiones pro enuntiato secundario

nostrae structurae poni possunt. — Haec valent etiam de locis structurae II et III[1]). —

Quod ad ceteras huius structurae I formas pertinet, supervacaneum putamus plura dicere, cum aut de illis iam disputaverimus, aut earum natura per se perspicua sit. Sed de condicione notionis pronominis relativi in enuntiato secundario hoc memorare velim: perspicuitatem dicendi esse praesertim legem, secundum quam ea notio in enuntiato secundario exprimitur; deinde vim vel gravitatem, quae nonnunquam in ea ponitur.

Conspectus omnium conformationum quas structura I praebet.

Nunc quidem dignum est, ut, nulla casuum ratione habita, uno conspectu videatur, quae sint omnes structurae I conformationes quas invenimus:

Notio pronominis relativi in utroque enuntiato:

1. In eodem casu:
   a. Exprimitur in enuntiato secundario:
   p. Cluent. 187: *quem tu, cum hunc brevi tempore accusaturus esses, Romam deducere, . . . incolumem denique servare quaestioni . . . debuisti* (en. s. interp.); ad fam. X 30, 2: *quas* (i. e. cohortes) *sequi coepimus coacti, quoniam retinere eas non potueramus* (en. s. postp.);
   b. Non exprimitur:
   ad Att. IV 2, 2: *quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito* (en. s. interp.); de div. I 69: *quas* (i. e. naves onerarias) *incenderant milites, quia sequi noluerant* (en. s. postp.).
2. In alio casu:
   a. Exprimitur in enuntiato secundario:
   de dom. 139: *qui, cum eum multi . . . impedirent, restitit* (en. s. interp.); in Verr. l. II 53: *qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hereditas* (en. s. postp.);

---

[1]) At Devantierus (op. all. pg. 8) structuras II et III etiam in iis comprehensionibus esse putat, in quibus pro enuntiato secundario locutio participialis, ablativus absolutus, accusativus cum infinitivo occurrit. — Sed non recte.

b. Non exprimitur:

Tusc. disp. IV 49: *cuius, ut arma sumpsit, ingressio laetitiam attulit sociis* (en. s. interp.); ad Att. VIII 9, 4: *cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conventus* (en. s. postp.).

Pronomen relativum spectat:

1. Ad ea quae praecedunt; quod cum fit habet illud vim:

a. Correlativam:

p. Caecin. 48: *Potes igitur dicere non ei vim fuisse impedimento, cui, cum cuperet eoque consilio venisset, per homines coactos licitum non sit accedere?*

b. Relativam:

de or. II 311: *Sed his partibus orationis, quae, etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen et commovendo proficiunt plurimum.*

c. Demonstrativam:

p. Sest. 110: *Nihil vidi magis: qui, cum eius adolescentia in amplissimis honoribus summi viri, L. Philippi vitrici, florere potuisset, usque eo non fuit popularis, ut . . .*

2. Ad ea quae sequuntur; quod cum fit, habet illud vim correlativam:

Tusc. disp. I 86: *Qui, si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates!*

Interdum relativum exhibet vim attributivam:

de nat. deor. II 160: *qua pecude quod erat ad vescendum hominibus apta nihil genuit natura fecundius.*

Enuntiatum secundarium:

1. Quantum ad eius locum pertinet, potest:

a. Interponi inter partes enuntiati relativi:

in Verr. l. II 138: *quibus si quid commisissent, poenae legibus erant constitutae.*

b. Postponi enuntiato relativo:

de fin. I 8: *Quibus ego assentior, dummodo de isdem rebus ne Graecos quidem legendos putent.*

2. Quantum ad eius naturam attinet, potest esse:

a. adverbiale:

de fin. I 8 (vide proxime supra idem exemplum).

b. relativum:

in Verr. l. V 55: *quantum debuit eius hominis, qui, a quibus frumentum emere debuisset, iis decretum vendidisset.*

c. substantivum:

p. Planc. 52: *neque vero quo te liberent aliqua culpa, quam tu vereris ne a te suscepta videatur.*

d. interrogatio obliqua:

in Verr. V 15: *quod nuper ipse iuratus docuit quemadmodum gestum esset.*

Interdum locutio participialis pro enuntiato secundario:

ad Att. V 2, 1: *cui deposcenti mea mandata cetera universe mandavi.*

Nonnunquam duo vel etiam plura enuntiata secundaria eiusdem ordinis inter partes enuntiati relativi collocantur; quae enuntiata:

1. aut coniunguntur inter se aut possunt coniungi particula quadam coordinativa:

   a. Coniunguntur; quod cum fit notio pronominis relativi in utroque enuntiato secundario occurrit:

   In eodem casu:

   p. Caecin. 48: *Potes igitur dicere non ei vim fuisse impedimento, cui, cum cuperet eoque consilio venisset, per homines coactos licitum non sit accedere?*

   In alio casu:

   de off. I 108: *inprimisque versutum et callidum factum Solonis, qui, quo et tutior eius vita et plus . . . rei publicae prodesset, furere se simulavit.*

   b. Possunt coniungi; notio relativi tantum in alterutro enuntiato:

   Br. 217: *qui in iudicio privato vel maximo, cum ego pro Titinia Cottae peroravissem, ille contra me pro Ser. Naevio diceret, subito totam causam oblitus est idque veneficiis et cantionibus Titiniae factum esse dicebat.*

2. Non coniunguntur nec possunt coniungi[1]):

   a. Notio pronominis relativi in utroque enuntiato secundario:

   de nat. deor. I 10[2]): *quos ferunt, si quid adfirmarent in disputando, cum ex eis quaereretur qua re ita esset, respondere solitos „ipse dixit“* [A (a:b/α) A].

   Item: in locis: de fin. II 65 et de re p. I 12 [forma paulum discrepat: A (a) A (b) A].

---

[1]) cf. Naegelsbach, Lat. Stilist.[9]: § 149, pg. 633.

[2]) inest in hoc exemplo forma A (a:b) A, quam viri docti, quoad sciam, et ipse Naegelsbachius, qui abunde de eiusmodi conformationibus disputavit (op. all. § 149, pg. 631 sqq.), non animadverterunt.

b. Notio pronominis relativi in alterutro tantum enuntiato secundario:

ad Att. XVI 3, 6: *qui, ut Blesamius venit ad me, cum ei* (i. e. Hierae) *praescriptum esset, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret, neque ad illum neque ad quemquam nostrum retulit.*

A pronomine relativo incipiunt duo enuntiata; quod cum fit:

1. Interponitur enuntiatum secundarium:

a. Aut alterutri:

Posteriori et coniuncto: de dom. 22: *quas aut nunquam tibi ille litteras misit aut. si misit, in contione recitari noluit.*

Posteriori non coniuncto: or. c. sen. gr. eg. 32: *quem ego inimicum mihi fuisse non dico. tacuisse, cum diceretur esse inimicus scio.*

b. Aut utrique:

α. Coniuncto: ad Q. fr. I 16, 45: *Sed ego, qui, cum tua lego. te audire, et qui, cum ad te scribo, tecum loqui videor, idcirco . . .*

β. Non coniuncto: p. Rosc. C. 46: *quem ego, ut mentiatur, inducere possum, ut peieret, exorare facile potero.*

2. Postponitur enuntiatum secundarium:

a. Alterutri:

α. Priori: Br. 216: *Motus erat is, quem et C. Julius in perpetuum notaret, cum ex eo . . . quaesivit „Quis loqueretur e lintre" et Cn. Sicinius, homo impurus sed ad modum ridiculus.*

β. Posteriori: ad Att. X 16, 1: *cui quidem non modo placabilem me praebuissem, sed totum remisissem. si advenisset qua mente tu ad me scripseras.*

b. Utrique:

de nat. deor. II 57, 142: *quae primum oculos membranis tenuissimis vestivit et saepsit, quas perlucidas fecit, ut per eas cerni possit. firmas autem, ut continerentur.*

Chiasmus fit cum priori enuntiato postponitur, posteriori interponitur:

Br. 76: *qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris. vel, si negas, surripuisti.*

Sicut inter partes enuntiati relativi duo enuntiata secundaria eiusdem ordinis collocari possunt, ita enuntiatum relativum duo enuntiata subsequi possunt:

1. Notio pronominis relativi in utroque enuntiato:

ad fam. V 13, 3: *quae persequerer. si aut melius ea viderem, quam tu vides, aut commemorare possem sine dolore.*

2. Notio pronominis relativi in alterutro enuntiato:

ad. Att. V 20, 9: *quem, ut puto, Romam cum litteris publicis mittam, ut et diligentius perferantur et idem ad me certa de te et a te referat.*

Cum enuntiatum secundarium interponitur:

1. Pars prior enuntiati relativi constat solo pronomine relativo:

de dom. 83: *qui, cum de eo tribunus pl. promulgasse, adesse . . . noluit.*

2. Etiam alia parte eiusdem enuntiati[1]):

in Pis. 20: *qui C. illi Mario, fortissimo viro et consuli et sextum consuli, et eius invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit.*

Pronomen relativum ipsum videtur subaudiri:

in Verr. l. II 29: *Africani est hoc, hominis liberalissimi — verum tamen ea liberalitas est probanda, quae sine periculo existimationis est, ut in illo fuit: cum ab eo quidam vetus assectator et . . . non impetraret, uti se . . . et id ferret moleste: „Noli“ inquit, mirari, si . . .*

[1]) Supervacaneum habuimus monstrare quae maxime sint illae partes.

Quam frequenter Cicero in unoquoque scriptorum suorum genere quasdam structurae I conformationes usurpaverit videri potest ex hac tabella:

Orationis conformationes	Nominativus				Genetivus				Dativus				Accusativus				Ablativus				
	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	
1. Enuntiatum secundarium interponitur	32	94	39	40	—	3	—	3	1	6	1	1	4	13	9	6	—	3	1	2	258
2. Enuntiatum secundarium subsequitur[1])	15	9	7	17	1	4	—	1	—	1	4	5	8	8	12	11	—	1	2	2	108
	47	103	46	57	1	7	—	4	1	7	5	6	12	21	21	17	—	4	3	4	366

[1]) **Exempla, in quibus enuntiatum secundarium subsequitur, minus accurate collegimus.**

Caput II.

In hoc capite exempla afferam et disponam atque tractabo, quae pronomen relativum cum nuntiato secundario coniunctum exhibent.

Locus aliquis structurae I velut hic:

de dom. 139: *qui, cum eum multi propter invidiam fictis religionibus impedirent, restitit;*
cum structura II utimur, fit:

quem cum multi p. in. impedirent, restitit.

Scilicet, pronomen relativum coniungitur cum enuntiato secundario; qua re fit, ut relativum enuntiatum ab altero pendeat, et non ab illo alterum, ut in structura I, deinde ut enuntiatum relativum bis pendeat, cum et a pronomine relativo et a coniunctione subiunctiva incipit[1]). — Si structuram II cum structura I conferre pergimus, facile observari potest, pronomen relativum constructionem enuntiati secundarii sequens casum suum mutare, quotiescunque verbum vel constructio illius enuntiati alium casum petit atque verbum enuntiati primarii; hoc modo in exemplo supra allato relativum pro subiecti casu casum obiecti sumpsit; nonnunquam fit contrarium, scilicet relativum sumit casum subiecti pro casu obiecti; denique fieri potest, ut relativum casum obiecti enuntiati secundarii sumat pro casu obiecti enuntiati primarii; cum autem utrumque verbum vel utraque constructio utriusque enuntiati eundem casum petit, tum pronomen relativum nullam mutationem praebet.

---

[1]) Forma A (a) A structurae I fit structura II: a:A. —

Quae cum ita sint, mutationis relativi ratione habita huius partis exempla in duas partes disponam:

1. Cum pronomen relativum nullam mutationem habet.

2. Cum pronomen relativum formam suam mutat; quod cum fit, pronomen relativum:

a. Pro casu subiecti casum obiecti, sumit;

b. Pro casu obiecti sumit subiecti casum;

c. Pro casu obiecti enuntiati primarii sumit casum obiecti enuntiati secundarii.

I. Pronomen relativum casum suum non mutat.

Hoc fit cum notio[1]) pronominis relativi eundem praebet casum in utroque enuntiato; qui casus est:

1. Nominativus.

Exempla non solum huius partis sed totius capitis secundi ita sunt conformata, ut duo enuntiata, secundarium et primarium, periodum quodam modo faciant; atque protasin periodi facit semper enuntiatum secundarium, apodosin enuntiatum primarium, quod semper subsequitur, velut:

de or. I 112: *quod nisi inepte fieret, bene non possit fieri;*

Plurimi loci in utroque enuntiato eundem nominativum casum praebentes exhibent protasin, quae tantum ex enuntiato secundario constat, velut:

p. Caecin. 100: *qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem quam vitam amitterent;* Tusc.

[1]) Proprie notio aliqua nullo grammatico munere fungi potest; sed simplicitatis et perspicuitatis causa liceat ita dicere. —

disp. III 3: *quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda.* ad fam. V 12, 4: *quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae.*

Item: de inv. I 102 (*quae si*); de or. I 214 (*qui quanquam*); 224 (*qui cum*); II 127 (*quae quanquam*); 144 (*quae si*); 231 (*qui quanquam*); III 26 (*quae cum*); Br. 28 (*qui cum*); 34 (*quae cum*); 228 (*quae cum*); 241 (*qui cum*); 273 (*qui quamdiu*); 306 (*qui quamquam*); Or. 29 (*qui si*); 104 (*qui quamquam*); 128 (*quod cum*); 126 (*quae etsi*); Top. 97 (*quae quamquam*); part. orat. 10 (*quae quia*); 118 (*qui cum*); de opt. gen. or. 8 (*qui cum*); p. Rosc. A. 117 (*quod tametsi*); 149 (*qui si*); p. Rosc. c. 13 (*qui cum*); in Verr. A. I 39 (*qui cum*); A. II l. I 95 (*quae omnia etiamsi*); l. II 48 (*qui posteaquam*); l. III 14 (*qui cum*); 118 (*qui si*); l. IV 21 (*qui cum*); 22 (*qui tamen cum*); 32 (*qui me ubi*); 68 (*qui si*); 84 (*qui ut*); 94 (*qui primo cum*); 117 (*qui cum*); 119 (*quae quia*); 120 (*qui cum*); 123 (*qui si*); l. V 89 (*quae si*); 122 (*qui quia*); ibid. (*qui nisi*); p. Font. 38 (*qui etsi*); 42 (*quae cum*); p. Caecin. 59 (*quod etiamsi*); 98 (*qui cum*); de imp. Cn. Pomp. 30 (*quae cum*); p. Cluent. 60 (*qui si*); 74 (*qui cum*); 107 (*quae quia*); 184 (*quae ut*); 190 (*quae primum ut*); p. C. Rabir. 14 (*quae si*); 21 (*qui cum*); in Cat. II 21 (*qui homines primum si*); p. Mur. 11 (*qui si adolescens*); 26 (*quae dum*); 56 (*qui quamquam*); p. Arch. p. 17 (*qui cum*); p. Flacc. 31 (*qui cum*); 98 (*qui quia*); Or. c. sen. gr. egit: 8 (*qui ut*); 11 (*qui nisi*); 35 (*qui si*); Or. c. pop. gr. egit: 21 (*qui cum*); ibid. (*qui cum*); de dom. 15 (*quae quia*); 58 (*qui cum*); p. Sest. 6 (*qui cum*); 70 (*qui cum*); 72 (*qui cum*); 137 (*qui cum*); in Vat. 33 (*qui tamen cum*); p. Cael. 34 (*qui simul ac*); 69 (*quod etiamsi*); 71 (*qui quamquam*); de prov. cons. 41 (*qui cum*); p. Balb. 55 (*quae cum*); in Pis. 32 (*qui si*); 71 (*qui si*); p. Planc. 28 (*qui cum*); 29 (*quae si minus*); p. Rabir. Post. 17 (*quae quoniam*); 27 (*qui cum*); p. Mil. 56 (*qui cum*); p. reg. Deiot. 7 (*qui cum*); 18 (*quod cum*); 40 (*quae si*); Phil. II 106 (*qui cum*); III 6 (*quae cum*); IV 12 (*quae quoniam*); V 3 (*qui cum*); 45 (*qui honos quamquam*); III 30 (*qui cum*); VIII 5 (*qui cum*); X 24 (*qui cum*); XI 18 (*qui cum*); XIII 27 (*qui si*); XIV 26 (*qui cum*); ad fam. I 9, 5 (*quae quamquam*); VI 6, 7 (*quae etsi*); VII 19 (*qui quamquam*); X 23, 4 (*qui quidem cum*); XI 10, 2 (*qui ex fuga cum*); XII 12, 4 (*qui si*); 16, 2 (*qui cum*); XIV 1, 1 (*qui cum*); XV 4, 4 (*qui etiam si*); 6, 2 (*quae etiam si*); de pet. cons. 24 (*qui etiam si*); 44 (*quae quamquam*); ad Att. II 7, 3 (*qui cum*); III 15, 7 (*qui si*); IV 2, 1 (*quae etsi*);

IX 7 A., 1 (*quod si*; Balbus et Oppius scribunt); X 12, 7 (*quod si*); ad Att. XIII 21, 2 (*qui simul ac*); ad Br. I 11, 2 (*qui etsi*); 15, 7 (*quod quamquam*); II 4, 3 (*qui si*); Acad. pr. II 5 (*qui etiamsi*); 134 (*qui cum*); 144 (*qui si*); acad. post. 46 (*qui cum*); de fin. II 54 (*qui cum*); 71 (*qui ne*); III 75 (*qui nisi*); IV 36 (*qui cum*); 55 (*quae cum*); 63 (*qui cum*); V 11 (*quae quia*); 32 (*qui cum*); 48 (*quae quo*); 50 (*qui dum*); Tusc. disp. I 26 (*quae quo*); 38 (*qui cum*); 54 (*quod si*); 96 (*qui cum*); 104 (*qui cum*); 114 (*qui cum*); ibid. (*qui cum*); II 52 (*qui cum*); III 11 (*quod cum*); 42 (*qui si*); 67 (*qui cum*); IV 72 (*qui si*); 77 (*quae quamdiu*); 78 (*qui cum*); 79 (*qui cum*); V 1 (*quod etsi*); 10 (*qui cum*); de nat. deor. I 110 (*quae etiamsi*); II 69 (*qui quia*); 133 (*quae quamquam*); 163 (*quae si*); III 47 (*quae quia*); de div. I 13 (*quae quamquam*); 29 (*quae si*); 31 (*qui cum*); 46 (*qui cum*); 127 (*qui etsi*); II 31 (*qui cum*); 55 (*quae si*); de fat. 5 (*qui cum*); 36 (*quod cum*); Cato m. 30 (*qui cum*); 63 (*qui legati cum essent*); 51 (*quae cum*); Lael. 78 (*quae tamen si*); de off. I 14 (*quod etiam si*); 15 (*quae si*); 54 (*qui cum*); 138 (*quae cum*); II 20 (*quae si longior fuerit oratio*); 41 (*qui cum*); III 31 (*qui si*); 69 (*quod etsi*); 98 (*qui cum*); de re p. II 33 (*qui cum*); 34 (*qui cum*); 39 (*quae discriptio si*); 46 (*qui cum*); 48 (*qui quamquam*); 61 (*qui cum*); VI 27 (Somn. Scip.; *quod si*); de leg. I 31 (*quae etsi*); II 3 (*qui cum*); 26 (*qui ut*); III 23 (*quae ducem cum habet*); Fragm. Hort. 81 pg. 986 v. 13 (*qui cum*); Timae cap. 11 ex pg. 1007 (*quae a me ipso effecta si sint*).

Nonnunquam enuntiatum secundarium facit protasin non solum, sed cum altero vel pluribus eiusdem ordinis enuntiatis; quod cum fit:

1. Enuntiata eiusdem ordinis coniunguntur vel possunt coniungi inter se particula quadam coordinativa, velut:

Br. 309: *qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus;* p. Caecin. 103: *Qui quoniam, recuperatores, suum ius non deseruit neque quidquam illius audaciae petulantiaeque concessit, de reliquo iam communem causam populique ius in vestra fide ac religione deponit.*

Item: Br. 26 (*quae cum*); 226 (*qui cum*); part. or. 134 (*qui cum*); p. Rosc. A. 121 (*quod quo*): p. Rosc. c. 30 (*qui posteaquam*);

in Verr. l. IV 82 (*qui cum*): V 40 (*qui cum*): de imp. Cn. Pomp. 9 (*qui posteaquam*); de leg. agrar. II 7 (*qui cum*); or. c. sen. gr. egit: 11 (*qui cum*): p. Cluent. 134 (*qui cum*): 198 (*qui cum*): de dom. 140 (*qui cum*); de prov. cons. 38 (*qui si*); p. Cael. 18 (*qui cum*): 75 (*quae cum*): p. Planc. 12 (*qui si*): Tusc. disp. I 102 (*quae cum*): IV 5 (*qui cum*); de nat. deor. III 83 (*qui cum*); d. div. I 56 (*qui cum*); 115 (*qui quia*); Cato m. 27 (*qui cum*): Lael. 100 (*quae cum*); de off. III 73 (*qui cum*): de re p. I 59 (*qui cum*): de leg. I 22 (*quae cum*).

Cum notio relativi alium praebet casum in enuntiato subsequenti eiusdem ordinis, mutatur relativum cum demonstrativo, velut:

p. Caecin. 6: *Quod quoniam iam in consuetudinem venit et id viri boni, vestri similes, in iudicando faciunt, reprehendendum fortasse minus, querendum vero magis etiam videtur.*

Eadem conformatio potest in protasi occurrere non solum cum notio pronominis relativi subauditur in enuntiato vel enuntiatis eiusdem ordinis, quae protasin faciunt, velut in locis supra allatis, sed etiam cum notio relativi non subauditur, velut:

in Verr. III 61: *qui cum araret in Aetnensi cumque is ager Apronio cum ceteris agris esset traditus, equestri illa auctoritate et gratia fretus affirmavit se decumanis plus quam deberet, non daturum.*

Nonnunquam fit repetitio coniunctionis subiunctivae, quae relativum subsequitur, velut:

p. Planc. 31: *qui si esset turpissimus, si sordidissimus, tamen ipso nomine patrio valeret apud clementes iudices et misericordes;*

Item: p. Planc. 73 (*qui cum*).

2. Enuntiata eiusdem ordinis non coniunguntur nec possunt coniungi inter se particula coordinativa:

Cum protasis tantum ex enuntiatis eiusdem ordinis constat, occurrit forma quaedam sermoni Latino peculiaris

et quae a lingua Germanica[1]) omnino abhorret: primum ponitur enuntiatum secundarium, quod pronomen relativum continet, deinde alterum enuntiatum secundarium eiusdem ordinis et quod notionem relativi comprehendere solet, denique enuntiatum primarium, vel solum vel cum aliis enuntiatis, notionem eiusdem relativi continens et quod apodosin facit; sed haec tria enuntiata ita posita et usurpata sunt, ut secundum enuntiatum tantum ad enuntiatum primarium referatur, primum autem ad duo reliqua, quae arctius inter se coniunguntur:

in Verr. l. IV 48: *Qui cum in convivium venisset, si quidquam caelati adspexerat, manus abstinere, iudices, non poterat.* — a:(b:A); de or. II 278: *qui cum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse.*

Secundum enuntiatum arctissime cum enuntiato primario coniunctum esse apparet etiam ex eo, quod proxime ante illud particula quaedam ponitur, quae apodosi anteponi solet, velut:

in Caecil. div. 60: *qui si summam iniuriam ab illo accepisti, tamen, quoniam quaestor eius fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione accusare*;

Item: de or. III 106 (*qui quamquam*): p. Rosc. A. 147 (*quae cum*); ad fam. III 10, 3 (*qui cum*).

Ut Naegelsbachius[2]) recte dicit, in conformatione quadam velut ea quae legitur in orat. in Verr. l. IV 48, etiam cum eadem est coniunctio subiunctiva in utroque enuntiato secundario, omnino poni non posse *et* vel aliam similem particulam inter duo enuntiata:

p. Cluent. 140: *qui cum Cn. Plancum defenderet accusante M. Bruto . . . cum Brutus duobus recitatoribus constitutis ex duabus eius orationibus capita alterna inter se*

[1]) Naegelsbach. op. all. pg. 632.
[2]) ibid. pg. 633.

contraria recitanda curasset . . . aliquantum esse commotus dicitur.

Huic constructioni persimilis videtur (sed re vera non est) altera quaedam orationis conformatio, quae occurrit, cum in constructione, de qua iam diximus, velut in:

Br. 309: *qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus,*

duo enuntiata secundaria eiusdem ordinis ἀσυνδέτως dicuntur, velut:

in Verr. l. V 180: *Venit mihi in mentem M. Catonis, hominis sapientissimi et vigilantissimi; qui cum se virtute, non genere populo Romano commendari putaret, cum ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari vellet, hominum potentissimorum suscepit inimicitias et maximis laboribus . . . vixit.*

Hoc cum fit, non semper facile est dictu, utrum duo enuntiata secundaria eiusdem ordinis particula coordinativa coniungi possint, necne.

Id, nisi fallimur, non grammatica, sed logica vel ad sensum pertinente ratione statui potest hoc modo: si necesse est fieri id, quod in primo enuntiato exprimitur, quo fiat id, quod in altero enuntiato exprimitur, tum inter duo enuntiata particula coordinativa poni non potest; si non est necesse, potest. Hoc apparet certe cum locos supra allatos inter se conferimus. Ceterum haec ratio in omnia quae novimus exempla quadrat. —

Interdum mixta quaedam conformatio occurrit, cum enuntiata ex quibus protasis constat partim coniunguntur particula coordinativa partim non coniunguntur nec coniungi possunt, velut:

ad fam. V 12, 8: *qui cum ceteris coronas imposuerint victoribus eorumque nomina magna voce pronuntiarint, cum ipsi . . . corona donentur, alium praeconem adhibeant.*

Item: p. Font. 44 (*quae cum*).

Cum parenthesis magni sit momenti apud Ciceronem, dignum est ut monstretur, qua ratione ille eam usurpare solet.

Cicero interrumpit nonnunquam orationem, inter cuius partes enuntiatum aliquod interponit, quod parenthesin facit:

1. Cum protasis ex uno enuntiato constat,

parenthesis collocatur: a. inter protasin et apodosin:

Top. 64: *quae quamquam sunt voluntariae — obiurgatione enim et admonitione deiiciuntur —, tamen habent tantos motus, ut* et q. s.

Item: Br. 263 (*quae si*); p. Sull. 24 (*qui si*); in Pis. 72 (*qui modo cum*); ad fam. V 13, 2 (*quae cogitatio cum*).

b. inter partes enuntiati secundarii:

Phil. I 10: *qui quamquam parum erat — id enim ipsum a Bruto audieram — a quibus debuerat adiutus, tamen . . . magnam mihi videbatur gloriam consecutus.*

Item: in Verr. l. III 44 (qui — cum.)

2. Cum protasis ex pluribus enuntiatis constat:

Inter partes primi enuntiati:

de or. II 313: *qui si quando — id quod mihi nunquam placuit — plures adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere.*

Inter primum et secundum enuntiatum:

Br. 115: *Qui cum innocentissimus in iudicium vocatus esset — quo iudicio convulsam penitus scimus esse rem publicam — cum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit.*

Praeter formas hucusque allatas in quibus protasis tantum ex enuntiatis eiusdem ordinis constat, occurrunt aliae, quarum protasis etiam unum vel plura enuntiata inferioris ordinis praebent; atque hoc fit:

1. Cum praeter enuntiatum vel enuntiata inferioris ordinis tantum enuntiatum relativum in protasi invenitur:

a. Enuntiata inferioris ordinis collocantur inter partes enuntiati relativi.

Br. 130: *qui etsi, cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat;* Or. c. sen. gr. eg. 19: *qui cum videret sceleratum civem, si legibus uti liceret, iudicio esse frangendum, sin ipsa iudicia impediret ac tolleret, audaciam virtute . ., vim vi superandam, primo de vi postulavit.*

Item: Br. 76 (*qui si*); Or. 147 (*quae etiamsi*); in Verr. l. III 84 (*qui cum*); l. IV 78 (*quae cum*); 85 (*quod cum*); ad fam. XII 2, 2 (*qui quia*); ad Att. X 8. 7 (*qui cum*); de fin. II 48 (*quod—quamquam*); de off. II 25 (*qui—cum*).

b. Enuntiata inferioris ordinis post enuntiatum relativum collocantur:

de off. I 6: *Quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, tamen sunt a nobis alio loco disputata.*

Item: de or. I 85 (*qui cum*); Br. 280 (*qui si*); p. Rosc. A. 70 (*qui cum*); in Verr. l. I 74 (*qui si*); l. II 58 (*qui si*); l. V 155 (*qui cum*); p. Caecin. 79 (*qui cum*); de imp. Cn. Pomp. 59 (*qui cum*); p. Cluent. 171 (*qui si*); p. Sull. 30 (*qui cum*); p. Cael. 28 (*quae si*); in Pis. 62 (*qui etiam si*): p. Planc. 55 (*qui si*); p. Mil. 12 (*quae quidem si*); Phil. VII 16 (*quod etsi*); IX 2 (*qui si*); ad Att. VI 3, 5 (*qui quia*); XI 7, 4 (*quod etsi*); XIII 45, 1 (*quae quamquam*); de fin. V 44 (*quod praeceptum quia*); Tusc. disp. I 42 (*qui si*); IV 35 (*quae si*); 39 (*qui si error*); V 26 (*qui cum*); 51 (*qui cum*); de nat. deor. II 69 (*qui cum*); de div. I 33 (*qui cum*); Lael. 42 (*qui cum*); de off. II 71 (*qui cum*); de re p. VI (Somn. Scip.) 26, 28 (*quae si*).

2. Cum praeter enuntiatum vel enuntiata inferioris ordinis non solum enuntiatum relativum sed etiam unum vel plura alia enuntiata eiusdem ordinis atque illud in protasi inveniuntur:

a. Enuntiata eiusdem ordinis inter se particulis coordinativis coniunguntur aut coniungi possunt:

Or. c. sen. gr. eg. 37: *Qui cum statuisset, nisi per vos me reciperasset, eandem subire fortunam atque idem sibi domicilium et vitae et mortis deposceret, tamen numquam nec magnitudinem negotii nec . . . pertimuit.*

Item: part. or. 99 (*qui etiam si ante*); Br. 234 (*qui cum*); p. Sest. 83 (*qui cum*); 101 (*qui cum*); ad. fam. I 9, 10 (*qui cum*); de fin. IV 4 (*qui cum*); V 54 (*qui cum*); Tusc. disp. V 58 (*qui cum*).

Nihil miri, cum ablativus absolutus pro enuntiato inferioris ordinis usurpatur:

de div. I 77: *Qui exercitu lustrato cum Arretium versus castra movisset et contra Hannibalem legiones duceret, et ipse et equus eius ante signum Iovis . . . concidit.*

Conspicuus est hic locus in quo et enuntiatum inferioris ordinis et ablativus absolutus interponitur; huic additur, quod notio pronominis relativi, cum in secundo enuntiato eiusdem ordinis alio casu efferatur, ut saepe fit, pronomine demonstrativo exprimitur:

Br. 191: *qui cum, convocatis auditoribus, legeret eis magnum illud, quod novistis, volumen suum et eum legentem omnes praeter Platonem reliquissent, „legam", inquit, „nihilo minus".*

b. Enuntiata eiusdem ordinis non coniunguntur inter se particulis coordinativis nec coniungi possunt:

Phil. XII 8: *qui si pacis, id est timoris nostri, nomen audierit, ut non referat pedem, insistet certe.*

Item: p. Cluent. 49 (*qui quamquam*): p. Cluent 140 (*qui cum*); de dom. 20 (*qui cum*); ad fam. XII 4, 1 (*qui cum*). —

Dignum est quod inspiciatur hoc exemplum in quo et enuntiata eiusdem ordinis, sive particulis coordinativis coniuncta sive non coniuncta, et enuntiata inferioris ordinis et ablativus absolutus in protasi occurrit:

Br. 56: *Licet aliquid etiam de M. Popillii ingenio suspicari; qui cum consul esset eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebi contra patres concitatione et seditione nuntiata, ut erat laena amictus, ita venit in contionem seditionemque cum auctoritate, tum oratione sedavit.*

Nonnunquam tam ampla parenthesis interponitur, ut necesse sit oratio repetatur, unde interrupta sit, velut:

in Verr. l. I 139: *dixit L. Domitius; qui cum sciret me ex Mustio vivo audisse, quod eo sum usus plurimum — etenim iudicium, quod prope omnium fortunarum suarum C. Mustius habuit, me uno defendente vicit — cum hoc, ut dico, sciret L. Domitius, me scire ad eum res omnes Mustium solitum esse deferre, tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit*;

Liceat nobis unum tantum afferre locum maxime proprium qui aperiat, quo modo ex conformationibus, quas supra vidimus, enuntiatis inferioris ordinis adiunctis periodus Tulliana nonnunquam exstiterit:

Conformatio in qua enuntiata eiusdem ordinis et quae protasin faciunt non coniunguntur nec coniungi possunt:

p. Cluent. 140: *Ego vero in isto genere libentius cum multorum, tum hominis eloquentissimi et sapientissimi, L. Crassi, auctoritatem sequor; qui cum C. Plancum defenderet accusante M. Bruto, homine in dicendo vehementi et callido, cum Brutus duobus reci tatoribus constitutis ex duabus eius orationibus capita alterna, inter se contraria, recitanda curasset, quod in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit, in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus, et multa in equites Romanos cum ex ea oratione asperius dicta reci-*

tasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur, aliquantum esse commotus dicitur.

Nonnunquam constat oratio ex duabus partibus, quarum utraque structuram II exhibet:

p. Sull. 74: *Qui cum multa haberet invitamenta urbis et fori .... afuit ab oculis vestris, et cum lege retineretur, ipse se exsilio paene multavit.*

Eadem forma atque supra sed partes orationis non coniunctae:

p. Cael. 6: *quae si petulantius iactatur, convicium, si facetius, urbanitas nominatur.*

Item: Phil. X 7 (*qui cum*).

Cum id, quod enuntiato relativo exprimitur, non graviter dicitur aut cum oratio incitatius fluit, participium usurpatur pro particula subiunctiva et verbo finito, velut:

ad Att. IV 1, 4: *Ibi* (i. e. Brundisii) *mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat et Brundisinae coloniae et tuae vicinae Salutis; quae res animadversa a multitudine summa Brundisinorum gratulatione celebrata est.* — (potuit dici: quae res cum animadversa esset);

Hoc modo ex comprehensione relativa structurae II, velut haec: quae res cum animadversa esset, summa B. gratulatione celebrata est fit unum enuntiatum.

Item: de or. I 3; Br. 197; 233; de imp. Cn. Pomp. 30; p. Sest. 130; p. Mil. 5; Phil. IX 9; ad fam. I 9, 17; de fin. IV 58; Tusc. disp. IV, 6; de nat. deor. II 63; 139; de div. I 65; 105; Cato m. 13; 53; de re p. I 5; 56; fragm. Arat. v. 759 (pg. 1036) et multi alii similes loci, quos non omnes notavi.

Eadem forma bis occurrit:

Cato m. 51: *deinde tepefactum* (sc. semen) *vapore et compressu suo diffundit et elicit herbescentem ex eo viri-*

ditatem; quae nixa fibris stirpium sensim adulescit culmoque erecta geniculato vaginis iam quasi pubescens includitur.

Memorabilis etiam hic locus in quo ablativo absoluto tota comprehensio exprimitur:

p. Mil. 32: *Atqui Milone interfecto Clodius haec assequebatur, non modo ut praetor esset non eo consule, quo sceleris nihil facere posset, sed etiam ut iis consulibus praetor esset, quibus si non adiuvantibus, at coniventibus certe speraret se posse eludere in illis suis cogitatis furoribus.*

Ut par est, locutio participialis pro verbo finito cum particula subiunctiva etiam in protasi poni potest, cum ea ex duobus vel pluribus enuntiatis constat, quae inter se non coniunguntur nec coniungi possunt:

de or. III 213: *qui cum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam* et q. s. (dici potuit: cum a Rhodiis rogatur esset . . .

Idem fit sed in primo enuntiato:

p. Flacc. 63: *quae tam procul a Graecorum omnium regionibus . . . divisa, cum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus barbariae fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut* et q. s.

In eadem conformatione, cum notio pronominis relativi in enuntiato eiusdem ordinis non occurrit, potest etiam ablativus absolutus poni pro enuntiato quod verbum finitum complectitur:

Br. 56: *qui cum consul esset . . ., plebi contra patres concitatione et seditione nuntiata, ut erat laena amictus, ita venit in contionem* et q. s. (vide exemplum hoc integrum pg. 65).

De apodosi nihil dignum quod memoretur invenimus, nisi quod pro uno enuntiato, quod apodosin faciat, comprehensio quaedam occurrit, quae ex enuntiato

substantivo aut interrogatione obliqua constat et verbo aut locutione a qua illa pendet; cum id fit, non prorsus existit structura II, sed tantum ei similis conformatio quaedam velut:

de div. II 128: *quae si alia falsa, alia vera, qua nota internoscantur scire sane velim*; ep. ad Q. fr. I 1, 19: *Quae cum honesta sint in his privatis nostris quotidianisque rationibus, in tanto imperio . . . divina videantur necesse est.*

Item: de inv. I 75 (*quae si*); de or. III 143 (*quae quamvis*); de opt. gen. or. 23 (*quae si*); in Verr. I. III 11 (*quae si*); de har. resp. 5 (*qui si*); Tusc. disp. I 43 (*qui si*); de fat. 1 (*qua de re futura cum*).

2. Genetivus.

Quam multi sunt loci, qui eundem casum nominativum praebent, tam pauci ei, qui aliquem ex reliquis casibus exhibent; quod quidem necessario fit; nominativus enim, cum insigni subiecti munere fungatur, necesse est multo saepius occurrat quam reliqui casus, qui obiecti aut attributi vicibus funguntur; deinde, cum facilius fieri possit, ut verba enuntiati secundarii et primarii (protasis et apodosis) idem in eodem casu habeant obiectum, quam ut eorum subiectum aut obiectum idem habeat attributum eodem casu genetivo expressum atque eandem notionem significans, nihil est mirum, si exempla, quae eundem casum accusativum aut ablativum aut etiam dativum praebent, plura inveniuntur quam quae eundem casum genetivum exhibent. — Hoc et e natura casuum ipsa sequitur et observari potest in locis, quos in unoquoque trium huius partis capitum afferimus.

Exempla autem eundem genetivum casum praebentia haec invenimus:

Genetivus subiectum utriusque enuntiati definit:

in Caecil. 14: *Omnium civitatum totius Siciliae legationes adsunt praeter duas civitates; quarum duarum si*

adessent (sc. delegationes), *duo crimina vel maxima minuerentur, quae cum his civitatibus C. Verri communicata sunt.*

Item: p. Cael. 43 (*quorum cum*).

Inter partes enuntiati secundarii parenthesis quaedam:

in Pis. 75: *Quorum quidem — quis enim non intellegit quos dicas — quamquam non est causa una omnium, tamen est omnium mihi probata.*

Proprium est fere omnium huius partis locorum, quod in apodosi nomen genetivo definitum initio ponitur.

Genetivus obiectum utriusque enuntiati definit:

p. Sest. 17: *Quorum, per deos immortales, si nondum scelera vulneraque inusta rei publicae vultis recordari, vultum atque incessum animis intuemini. Facilius eorum facta occurrent mentibus vestris, si ora ipsa oculis proposueritis.*

Item: de or. III 68 (*cuius ego etsi*); Phil. X 18 (*quorum etiamsi*); de re p. I 21 (*cuius ego sphaerae cum*).

Genetivus in enuntiato secundario subiectum, in primario obiectum definit:

de fin. III 75: *recte invictus, cuius etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula inici nulla possint.*

Pro enuntiato secundario vel potius pro verbo finito cum particula subiunctiva: participium ponitur:

Cato m. 55: *Cuius quidem ego villam contemplans — abest enim non longe a me — admirari satis non possum vel hominis ipsius continentiam vel temporum disciplinam.*

Vel etiam ablativus absolutus:

p. Sest. 143: *cuius corpore ambusto vitam eius et virtutem immortalitas suscepisse dicatur.*

3. Dativus.

Ut iam supra significavimus (pg. 68) huius quoque generis loci raro occurrunt:

Protasis constat tantum ex enuntiato relativo:

in Verr. l. V 178: *Cui legi cum vestra dignitas vehementer adversetur, istius spes falsa et insignis impudentia maxime suffragatur*; de re p. I 68: *cui quia privato sunt oppositi timores, dantur imperia* et q. s.; ad Att. XIV 5, 2: *cui certe si possum mederi, deesse non deberem.*

Item: p. Cluent. 18 (*cui si*); p. Flacc. 106 (*cui si*); Phil. XIV 28 (*cui cum*); ad fam. XI 2, 3 (*quibus etsi*); ad Att. XIV 5, 2 (*cui certe si*); acad. pr. II 141 (*cui si*).

Protasis constat e pluribus enuntiatis eiusdem ordinis:

de off. II 4: *Cui* (i. e. philosophiae) *cum multum adulescens discendi causa temporis tribuissem, posteaquam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus*; ad fam. XIV 1, 5: *cui si aliquid erit, ne egeat, mediorci virtute opus est.*

In protasi praeter enuntiatum relativum, alterum etiam, idque inferioris ordinis:

in Verr. l. V 151: *Cui si etiam id, quod defendit, velim concedere, tamen ipsa illa falsa defensio non minus esse ei perniciosa quam mea vera accusatio debeat*; Phil. III 4: *Cui quamquam gratia referri tanta non potest, quanta debetur, habenda tamen est tanta, quantam maximam animi nostri capere possunt.*

Item: ad fam. IX 14, 2 (*quibus ego quamquam*).

Pro enuntiato inferioris ordinis ablativus absolutus usurpatur:

Tusc. disp. V 97: *cui cum peragranti Aegyptum comitibus non consecutis cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius.*

In enuntiato relativo pro parrticula subiunctiva et verbo finito participium ponitur:

Br. 101: *cui tamen Laelius se excusans non generi minori dixit se illud sed maiori filiae detulisse.*

4. Accusativus.

Etiam in locis, qui eundem praebent accusativum casum, saepius occurrit forma in qua:

Protasis ex uno enuntiato constat:

Cato m. 28: *Quam si ipse exequi nequeas, possis tamen Scipioni praecipere et Laelio . . . . . .*; or. c. sen. gr. egit 23: *quas ego etiamsi ulcisci possem, tamen oblivisci mallem*; de off. III 38: *quem ut detraxit, ipse induit.*

Item: de or. II 159: (*quod si*); III 123 (*quos nisi*); 171 (*quae cum*); Br. 20 (*quem ego sermonem cum*); 332 (*quas cum*); Or. 2 (*quod quoniam*); 101 (*quam etsi*); p. Cluent. 68 (*quae cum*); p. Sest. 79 (*quem cum*); p. Planc. 75 (*quem ego de me bene meritum quia*); ad fam. I 2, 3 (*quem ego ipsum cum*); V 5, 3 (*quae ego si*); V 1, 1 (*quem si*; Q. Metellus scribit); XIII 68, 1 (*quae quamquam*); ad Att X 8 B, 2 (*quod nonnulli cum*; Caesar scribit); XIV 6, 1 (*quod cum*); 13 A, 3 (*quod si*; Antonius scribit); de re p. III 16 (*quod cum*); ad fam. XIII 68, 1 (*quae quamquam*).

Pronomen relativum est subiectum accusativi cum infinitivi in enuntiato secundario:

p. Marcell. 21: *quam etsi spero esse falsam, tamen, nunquam extenubao.*

Item: ad Att. XI 9, 2 (*quae si*); XVI 3, 4 (*quod etsi*); de nat. deor. I 73 (*quem cum*); II 54 (*quae cum*).

Notio pronominis relativi est subiectum subauditum accusativi cum infinitivo in enuntiato primario:

Tusc. disp. I 92: *Quam qui leviorem faciunt, somni simillimam volunt esse;* de off. I 48: *quem qui audiunt, intellegere etiam et sapere plus quam ceteros arbitrantur.*

Item: in Cat. IV 15 (*quos cum*); ep. ad Br. I 15, 8 (*quod ego cum*) de re p. I 29 (*quem cum*).

Eadem forma, sed in oratione obliqua, videtur esse in fragmento apud Nonium (ad v. *deicere*) tradito;

in Orell. edit. pg. 970, v. 13—15: *De statua nescio cuius Clodii, quam cum restitui iussisset Anconae, cum here deiectam esse ex senatus consulto.*

Item: acad. pr. 108 (quos quoniam).

Pronomen relativum cum praepositione:

p. reg. Deiot. 12: *ad quem cum di atque homines omnia ornamenta congessissent, tum tu ipse plurima etmaxima.*

Item: or. 67 (*apud quos nisi*); de har. resp. 54 (*ad quem metum si*).

In enuntiato secundario post pronomen relativum alterum relativum:

Tusc. disp. V 102: *quae qui privatim habent, nec tam multa* (sc. habent) *et raro vident, cum in sua rura venerunt.*

Item: Tusc. disp. I 92 (*quam qui*); de off. II 48 (*quem qui*):

Pro verbo finito et particula subiunctiva participium:

p. Sest. 72: *quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant;* ad fam. IV 3, 3: *quae ego experiens quotidie sic probo, ut* . . et q. s.

Protasis constat ex pluribus enuntiatis:

Eiusdem ordinis:

de har. resp. 16: *Quae quidem ego si aut per me aut ab aliis haberem, non praedicarem apud vos;* p. Flacc. 96: *Quae si per alios agerent, si denique per populi nomen civium imperitorum multitudinem concitassent, aequiore animo ferre possemus.*

Forma a (b : A):

p. Flacc. 51: *quem tu cum ephebum Temni cognosses, quia tunc te nudus delectarat*₁ *semper nudum esse voluisti.*

Item: p. Cluent. 99 (*quae illae cum*); or. c. sen. gr. eg. 13 (*quem — etiamsi*); ad Att. XII 20, 1 (*quod etsi*). —

Diversi ordinis:

ad. fam. XIV 1, 1: *Quae si, tu ut scribis, fato facta putarem, ferrem paulo facilius*; p. Tull. 6: *quod tametsi*

eo volo, quia mihi utile est, tamen abste idcirco, quia aequum est, postulo.

Item: p. Rosc. A. 139 (*quam si*); de har. resp. 29 (*quod cum*); ad Att. III 10, 2 (*quem ego — cum*).

In enuntiato secundario participium pro particula subiunctiva et verbo finito:

Acad. pr. II 31: *quam, ut dixi, verbum e verbo exprimentes comprehensionem dicemus.*

Item: de nat. deor. I 54 (*in quam se iniciens*); de div. I 106 (*quem se intorquentem*).

Pro enuntiato secundario (i. e. relativo vel protasi) enuntiatum substantivum et locutio a qua illud pendet:

ad fam. X 31, 2: *quem tametsi nemo est qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus est oderunt homines* et q. s. (cf. quem tametsi nemo videre velit).

In apodosi pro enuntiato primario enuntiatum substantivum et verbum a quo illud pendet:

ad Att. XII 35, 2: *Quod si volumus, vereor ne assequi non possimus nisi mutato loco.*

5. Ablativus.

Protasis constat ex solo enuntiato relativo:

ad fam. III 6, 4: *Ac mihi . . . redditae sunt a te litterae; quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conveniendi afferebas*; ibid. XIII 17, 1: *qua si opus fuisset, tam essem usus quam mea.*

Saepius pronomen relativum cum praepositione occurrit:

p. Roscio A. 82: *de quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare*; in Vat. 1: *odio enim tui, in quo etsi omnes . . . superare debeo, tamen ab omnibus prope vincor* . . . et q. s. —

Item: p. Quinct. 29 (*a quibus cum*); p. Rosc. A. 62 (*in quo scelere etiam cum*); in Verr. l. I 72 (*de quo ne*); III 95 (*in quibus si*); IV 110 (*in quo ego cum*); p. Cluent. 133 (*qua de re si*); or. c. sen. gr. egit: 11 (*quo in magistratu nisi*); in Pis. 71 (*in quibus si*); p. Rabir. P. 19 (*quocum nec si*); p. Mil. 37 (*qua in turba C. Vibienus senator, vir optimus cum hoc cum*); p. reg. Deiot. 25 (*a quo cum*); Phil. VIII 12 (*in qua etiamsi*); XI 34 (*quo in bello si*); ad fam. II 9, 2 (*in quo cum*); V 8, 4 (*in quo etiamsi*); XIII 1, 4 (*in quo etiamsi*); ad Q. fr. III 9, 3 (*in quo etiamsi*); ad Att. I 3, 3 (*quibus de suspicionibus etsi*); de fin. IV 9 (*de quibus etsi*); de off. II 45 (*quo tamen in bello cum*); de off. II 52 (*qua quo . . . eo*).

Pronomen vel adiectivum relativum saepe tempus significat quo efficitur id, quod in utroque enuntiato exprimitur:

Phil. V 20: *quo die si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, caedis initium fecisset a me;*

Item: de imp. Cn. Pomp. 62 (*quo quidem tempore cum*); in Cat. III 19 (*quo quidem tempore cum*); or. c. s. gr. e.: 26 (*quo quidem die cum*); de prov. cons. 13 (*quo tempore si*); Phil. VI 2 (*quo quidem tempore etiamsi*).

Pronomen vel adiectivum relativum locum significat:

in Verr. l. IV 31: *Quo posteaquam venerunt, mirandum in modum . . . ita odorabantur omnia et pervestigabant,* ut et q. s.; de fin. III 7: *Quo cum venissem, M. Catonem . . . vidi in bibliotheca sedentem* et q. s.

Item: p. Sest. 63 (*quo si*); ad fam. XV 4, 7 (*quo ut*); Tusc. disp. V 100 (*quo cum*):

In omnibus, quos invenimus, locis Cicero, cum adverbium relativum verbo veniendi adiungit, in enuntiato primario (apodosi) adverbium demonstrativum omittit; contrarium occurrit in

ep. ad fam. X 30, 4: *Quo cum venit, complures ibi amisit nec egit quidquam.* (Galba scribit).

In enuntiato secundario (protasi) post pronomen relativum alterum sequitur relativum:

Or. 236: *quo qui est contentus, utatur.*

Pro verbo finito et particula subiunctiva in enuntiato secundario participium usurpatur:

de nat. deor. II 140: *nam oculi tamquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere.*

Item: Br. 13 (*quo — affatus*).

Protasis constat e pluribus enuntiatis:

Eiusdem ordinis:

or. c. s. gr. eg. 26: *Quo quidem die cum CCCCXVII senatores essetis, magistratus autem omnes adessent, dissensit unus* et q. s.

Item: de prov. cons. 13 (*quo tempore si*).

Conformatio a (b: A):

p. Cael. 11: *Qua in aetate nisi qui se ipse sua gravitate et castimonia et . . . defenderet, quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat.*

Item: de div. I 77 (*quo tempore cum*).

Diversi ordinis:

Phil. XII 26: *in quibus etiamsi non erunt insidiae, quae facillime esse poterunt, animus tamen erit sollicitus, ut nihil possit . . . attendere;* in Pis. 24: *in quibus si moderatio illa, quae in nostris solet esse consulibus, non fuit, at fuit pompa.*

Item: in Pis. 89 (*quo in oppido cum*); ad Att. I 20, 1 (*qua de re cum*); de fin. V 33 (*qua quidem de re quamquam*).

Pro verbo finito et particula subiunctiva participium usurpatur:

ad Att. I 18, 2: *in qua ego nactus, ut mihi videbar, locum resecandae libidinis et coërcendae iuventutis, vehemens fui et* et q. s.

Parenthesis quaedam inter protasin et apodosin:

ep. ad Q. fr. I 2, 3: *quibus in rebus etiamsi fidelitas*

summa est, — quod prorsus credo, quoniam tu ita iudicas —, tamen species ipsa tam gratiosi liberti aut servi dignitatem habere nullam potest; de or. II 256[1]): *in quo ut ea, quae sint frigidiora, vitemus — etenim cavendum est ne arcessitum dictum putetur — permulta tamen acute dicemus.*

Memorabilis est conformatio orationis, in qua pronomen relativum spectat ad ea quae sequuntur; quod cum occurrit, enuntiatum relativum facit cum enuntiato primario a quo pendet orationis priorem partem, cui posterior pars respondet, quae a pronomine demonstrativo incipit:

p. Balb. 33: *De quibus igitur etiamsi latum esset ne quem civem reciperemus, tamen id esset, quod postea populus iussisset, ratum nec quidquam illis verbis „si quid sacrosanctum est" esse exceptum videretur, de iis cum populus Romanus nihil umquam iusserit, quidquam audes dicere sacrosanctum fuisse?*[2])

In apodosi pro enuntiato primario interrogatio obliqua vel enuntiatum substantivum et verbum quo illud regitur:

ad fam. I 9, 13: *Quo in discrimine cum mirifica senatus . . . in metuendo exstitisset, non dicam quid acciderit* et q. s.; p. Cael. 25: *In quo etsi magna ex parte ingenio eius et dicendi genere quodam tenebamini, tamen nonnunquam verebar ne illa subtiliter . . . inducta oratio ad animos vestros . . . accederet.*

Item: p. Sest. 14 (*qua in oratione si*); p. Planc. 50 (*quo quidem tempore — si*); ad fam. XI 28, 1 (*de quaet si*); ad Q. fr. I 2, 7 (*quibus quidem in rebus*); ad Att. III 23, 1 (*in quo si*).

[1]) In talibus locis suspensio vel parenthesis, quamquam inter protasin et apodosin ponitur, videtur protasi attribuenda esse.

[2]) De quo loco cf. Madv. Adv. crit. III. pg. 146.

II. Pronomen relativum mutat casum suum.

Ut iam exposuimus (pg. 55), pronomen relativum, cum sequitur constructionem enuntiati secundarii, mutat casum suum, quotiescunque illius enuntiati constructio alium petit pronominis casum atque enuntiatum primarium. Quod profecto fieri intellegimus cum structuras I et II conferimus.

Pronomen relativum:

a. Pro casu subiecti casum obiecti aut attributi sumit:

Genetivum.

In protasi tantum enuntiatum secundarium:

Br. 40: *Cuius etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum;* (pro Qui, etsi eius . .).

Item: p. Mur. 57 (*cuius competitores si*).

Pronomen definit obiectum enuntiati secundarii:

Tusc. disp. V 112: *cuius caecitatem cum mulierculae lamentarentur,* „*Quid agitis?*" *inquit* „*an vobis* et q. s.; de off. I 76: *quorum rebus gestis quamquam imperium partum Lacedaemoniis putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt.*

In protasi plura enuntiata occurrunt:

Eiusdem ordinis:

de nat. deor. II 62: *quorum uum remanerent animi atque aeternitate fruerentur, rite di sunt habiti, cum et optimi essent et aeterni.* (pro qui, cum eorum . . .).

Item: de dom. 143 (*quorum si*).

Diversi ordinis:

Or. 39: *quorum aetas cum in eorum tempora, quos nominavi, incidisset, longissime tamen ipsi a talibus deliciis vel potius ineptiis afuerunt* (pro qui, cum eorum . . . ipsi tamen . .);

in forma a (b : A):

Parad. st. I p. 8: *cuius cum patriam cepisset hostis ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus asportarent, cum esset admonitus a quodam ut idem ipse faceret, „Ego vero" inquit, facio* (pro qui, cum eius . . .).

Pro verbo finito et particula subiunctiva:

Participium:

Tusc. disp. V 78: *quorum imbutae mentes pravitatis erroribus quamvis carnuficinam prius subierint quam ibim aut . . violent* et q. s. (pro qui, cum eorum mentes . . imbutae sint . .).

Item: de imp. Cn. Pomp. 4 (*quorum alter relictus*).

Ablativus absolutus:

p. Cluent. 125: *cuius ministris consciisque damnatis, ipse adductus in iudicium pecuniam iudici dederit* et q. s. (pro qui, cum eius ministri damnati essent . .).

In apodosi pro enuntiato primario interrogatio obliqua et locutio a qua illa pendet:

de div. II 150: *Quorum licentiae nisi Carneades restitisset, haud scio an soli iam philosophi iudicarentur* (pro qui, nisi eorum licentiae . . ., haud scio an soli . .).

Dativum.

In protasi solum enuntiatum relativum:

p. Planc 65: *cui cum respondissem me e provincia decedere, „Etiam me hercule" inquit, „ut opinor, ex Africa"*; ibid. 97: *cui cum omnis metus, publicatio . . proponeretur, haec perpeti . . . maluit quam custodiam mei capitis dimittere*; de off. III 94[1]): *cui cum tres optationes Neptunus*

---

[1]) De hoc loco accuratius dicendum:

In tertii de off. l. § 94 haec dicit Cicero de promissis servandis: *„Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quae non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaethonti, ut redeamus ad fabulas,*

dedisset, optavit interitum Hippolyti filii et q. s.; ad Att. VI 3, 6: *Gavius est quidam, cui cum praefecturam detulissem Bruti rogatu, multa et dixit et fecit cum quadam mea contumelia* et q. s.

---

facturum se esse dixit quicquid optasset; optavit ut in currum patris tolleretur. Sublatus est. Atque is, antequam constitit, ictu fluminis deflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum! Quid, quod Theseus exegit promissum a Neptuno? cui cum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti filii, cum is patri suspectus esset de noverca; quo optato impetrato Theseus in maximis fuit luctibus. Quid Agamemnon? cum devovisset Dianae, quod in suo pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius; promissum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittendum fuit." et q. s.

Primus Valckenarius (ad Eurip. Hipp. v. 887; anno 1768) verba: „*cui cum — luctibus*" insiticia habuit; miratur enim ille, quod Cicero eandem de Theseo et Hippolyto narratiunculam atque fere eadem forma expositum repetit, qua iam in primo de off. l. § 32 usus sit; quadam tamen cum dubitatione sententiam suam exprimit cum addit: „Haec (i. e. „*cui cum — luctibus*") si forte Io. Aug. Ernesto similibusque a mala manu viderentur Ciceronis orationi interiecta, his ego quidem perlibenter adstipularer." Ac Ernestius quidem postea ad hunc locum in editione sua (anno 1775 edita), Valckenarii dubitationem confirmat, cum eum non solum repetitio offendit, verum id quoque quod non subicitur iudicium Ciceronis ut in reliquis duobus exemplis (tria sunt exempla: Phaethontis, Thesei, Agamemnonis). Haec de Valckenarii et Ernesti opinione. Deinde in prima Orellii editione (anni 1828) exemplum secundum: „*Quid, quod Theseus — luctibus*" Ciceroni adscribitur, at in altera, ab illo cum Baitero inchoata, cum Baiterus de officiis libros recenseret et emendaret (1860), Valckenarii et Ernesti argumenta considerans magni fecit et cum ad ea suum tertium adderet, id est locutionem quae est „tres optationes dare" a Ciceronis usu abhorrere, secundum exemplum non ex parte, sed totum, ut spurium, uncis saepsit; denique idem in editione ab illo cum Kaysero instituta, iterum hoc secundum exemplum uncis saeptum edidit (1865).

Primum de orationis forma: Baiterus dicit se locutione tres optationes dare maxime offendi, pro eo, quod Cicero in III de nat. deor. l. 76 dixit, i. e. „ter optandi facultatem dare"; Baiterus quidem, si recte eius mentem perspexi, dubitat,

Item: in Verr. l. I 158 (*cui ego nisi*); Phil. XI 38 (*quibus cum*); ad fam. I 2, 4 (*cui cum*); Tusc. disp. I 102 (*cui cum*); de off. II 41 (*cui cum*).

In protasi plura enuntiata:

---

num nomina verbalia a supino terminatione -io derivata facultatem quoque vel potestatem actionis alicuius verbi significare possint; sed, nisi fallor, non recte; hoc modo enim usurpat Cicero nomen verbale recusatio pro recusandi facultate in l. de or. II 364: *Tum ille, adimere, inquit, omnem recusationem Crasso volui* et q. s. Eodem igitur modo potuit Cicero optationem pro optandi facultate dicere. Orationis conformatio nihil desiderat, immo auctoritatem huius loci confirmat et consuetudinem quandam Tullianam praebet; nam duae orationis partes: „*Quid, quod Theseus exegit promissum a Neptuno?*" et „*cui cum — luctibus*". eandem habent formam et eodem modo conectuntur atque hi loci: ad Att. XII 23, 3: *nam quid de me dicam? cui ut omnia contingant, quae volo, levari non possum*; aut: Tusc. disp. I 102: *Quid? Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem nonne miramur? Cui cum Lysimachus rex crucem minaretur . . . inquit.* Haec orationis conexio, quae a Cicerone non abhorret, tam arcte partes secundi exempli inter se coniungit, ut, quantum ad fidem pertinet, non aliter de posteriore ac de priore parte iudicari possit; quod tamen fecit Valckenarius.

Ernestio locus noster dubius videtur etiam propterea quia iudicium Ciceronis non subicitur, ut in reliquis duobus exemplis. Sane, non subicitur; sed, quod Cicero post secundum exemplum (sc. nostrum locum) non fecit, id post tertium fecit, quod cum secundo arcte coniungitur et similem habet orationis conformationem; itaque duo posteriora exempla unam partem faciunt, cui commune Ciceronis adiicitur iudicium: „*Promissum potius non faciendum quam tam taetrum facinus admittendum fuit.*" Hoc iudicium optime respondet illi, quod post primum exemplum scripsit Cicero: *Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum!* Atque hoc modo, postquam utrique parti iudicium suum adiecit, ea declaratione finem facit orationis, quacum incepit et quam exemplis confirmare voluit: *Ergo et promissa non facienda nonnunquam.*

Venimus ad Valckenarii argumentum, a quo initium dubitationis profectum est. Ille enim primus et postea Ernestius offensi sunt eo, quod in secundo exemplo repetitur quod iam in loco de off. I 32 de Theseo dictum erat.: *Potest enim accidere promissum aliquod et conventum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit,*

Eiusdem ordinis:

in Cat. II 5: *quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum praetoris ostendero, concident*; Tusc. disp. II 20: *Sed videamus Herculem ipsum*

---

vel ei qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus Hippolyto filio non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit; quo optato impetrato in maximos luctus incidit. A quo loco coniecit Valckenarius locum nostrum sumptum fuisse et a quadam mala manu Ciceronis orationi interiectum. Eadem causa etiam Ernestius offensus est; sed ab eodem facto profecti in diversas partes ierunt, cum Valckenarius tantum: *cui cum — luctibus*, Ernestius vero totum locum *Quid, quod — luctibus* spurium coniecerint. Ciceronem tantum: *Quid, quod Theseus exegit promissum a Neptuno?* scribere et narratiunculam ipsam praetermittere potuisse, concedo; sed cum orationis conformatio, ut supra vidimus, duas partes: *Quid, quod — Neptuno?* et *cui cum — luctibus* tam arcte et structura omnino Tulliana coniungat; deinde cum pars posterior orationis *cui cum — luctibus* aliqua ex parte eodem modo cum priore *Quid, quod — Neptuno?* conectatur atque duae partes subsequentis exempli *Quid Agamemnon?* et *cum devovisset — pulchrius*, denique cum *cui cum — luctibus* vel etiam secundum exemplum totum in abundantiam Ciceronianam et in quandam neglegentiam et celeritatem quadret, qua Cicero libros de officiis composuerit, adducimur ut putemus, non aliter — quantum ad fidem pertinet — de posteriore (*cui cum — luctibus*) ac de priore parte (*Quid, quod — Neptuno*) huius loci iudicandum esse. Itaque cum pars prior genuina habeatur, posterior quoque genuina habenda est. Sed exemplis utar, quo demonstrem Ciceronem in hoc loco idem fecisse, quod saepe alias, scilicet ut eandem rem paulum mutatam repeteret, qua eandem sententiam confirmaret. Quia spatium non permittit, exempla non afferam ipsa, sed tantum indicabo. Itaque ut confirmaret arcte inter se doctrinam et usum coniuncta esse, eisdem exemplis utitur Cicero in I de off. lib. 155 et III de or. lib. 139; eandem comparationem inter societatem hominum et corpus humanum usurpat Cic., ut proferat hominem ita suo officio fungi debere ut societatis humanae utilitati consulat in III de off. lib. 21 et 22 et in III de off. lib. 31 et 32; et permulta alia similia.

Quae cum ita sint, elucet sane firmam esse omnium codicum fidem atque hunc locum a Cicerone profectum esse.

. . . *Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit! cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset inhaesissetque ea visceribus, ait ille:*

Forma a (b : A):

de off. III 112: *Cui cum esset nuntiatum, qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patram arbitraretur, surrexit e lectulo* et q. s.

Diversi ordinis:

de or. II 278: *quo in genere est illud Siculi, cui cum familiaris quidam quereretur, quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu, „Amabo te" inquit, „da mihi ex ista arbore, quos seram surculos"*; ad fam. VIII 12, 3: *Quibus cum parum procederet ut ulla lege mihi ponerent accusatorem, compellari ea lege me voluerunt, qua* et q. s.

Pronomen relativum correlativam vel meram relativam vim habet:

de re p. I 7: *Is enim fueram, cui cum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris propter variam suavitatem studiorum, aut, si quid acciderit . . . non praecipuam, sed parem . . . condicionem subire, non dubitaverim me gravissimis tempestatibus . . . obvium ferre* et q. s.

Item: ad Att. XII 23, 3 (*cui ut*); Tusc. disp. III 76 (*cui cum*).

In conformatione orationis a : (b : A) pro secundo enuntiato eiusdem ordinis (b) ablativus absolutus ponitur:

Br. 245: *Cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu, consul factus esset.*

Accusativum.

Solum enuntiatum relativum in protasi ponitur:

Id saepe occurrit cum pronomen relativum neutrius est generis:

de or. III 123: *Quae quoniam iam aliunde non*

possumus (sc. sumere), *sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus*; in Verr. l. III 51: *Quae si rei publicae causa faceres, in vendendo essent pronuntiata.*

Item: p. Rosc. A. 120 (*quod si*); in Verr. A. I 19 (*quod cum*); de har. resp. 19 (*quae quamquam*); de leg. I 40 (*quae si*).

obs. Structuram I, scilicet tale aliquid: quae quamquam ea divinitus perscripta video, tamen eiusmodi sunt et q. s. non invenimus, sed invenimus talem constructionem, cum pronomen relativum masculini aut feminini est generis, ut:

fam. VI 4, 2: *quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est:* de dom. 83: *qui, cum eum multi . . . impedirent, restitit* et q. s.

Inveniuntur etiam loci, in quibus structura II fit, cum pronomen relativum feminini aut masculini est generis:

Tusc. disp. V 30: *Quos si titulus hic delectat insignis et pulcher, Pythagora, Socrate, Platone dignissimus, inducant animum illa, quorum splendore capiuntur, vires, valetudinem . . . opes contemnere* et q. s.; p. Mil. 58 [1]): *Quos nisi manu misisset, tormentis etiam dedendi fuerunt conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis.*

Item: p. Rosc. C. 42 (*quem tu si*); ad fam VI 12, 2 (*quam quia*); de nat. deor. I 122 (*quam si*).

Accusativus cum praepositione:

de re p. VI 9 (1) 9 (Somn. Scip.): *Ad quem ut veni, complexus me senex conlacrimavit* et q. s.

Plura enuntiata diversi ordinis in protasi occurrunt:

Tusc. disp. II 60: *Quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, quaenam ratio eum de sententia deduxisset, respondit*; ibid. 61: *quem* (sc. Posidonium) *ut vidisset* (i. e. Pompeius) *et salutavisset et . . . molesteque se dixisset ferre,*

---

[1]) Quo loco verba quae sunt *conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis* pro appositione ponuntur ad notionem pronominis relativi in enuntiato primario subauditam; cf. ad Att. VI 3, 6: *Gavius est quidam, cui cum praefecturam detulissem Bruti rogatu, multa et dixit et fecit cum quadam mea contumelia* P. Clodii canis.

quod eum non posset audire, at ille „Tu vero“ inquit, „potes“ et q. s.

Item: p. Cluent. 40 (*ad quam cum*); de div. II 74 (*quos cum*).

In apodosi:

Verbum enuntiati primarii omittitur; quod in locutione velut: tum hic, tum ille pro tum hic, tum ille dixit occurrit:

ad fam. XI 27, 1: *Quem cum obiurgarem, quod parum valetudini parceret, tum ille, nihil sibi longius fuisse quam ut me videret.*

Pro enuntiato primario interrogatio obliqua et locutio a qua illa pendet:

or. 19: *quem si imitare atque exprimere non possumus . . . at qualis esse debeat poterimus fortasse dicere* (poterat dici: qui, si eum . . .).

Ablativum.

Unum enuntiatum in protasi occurrit:

ad fam. V 16, 4: *nihil mali esse in morte*; *in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius quam mors ducenda sit*; de nat. deor. I 60: *auctore utar Simonide, de quo cum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi sibi unum diem postulavit.* Phil. XIV 16: *In qua contione cum me pro summa nostra coniunctione et familiaritate liberare suspicione fascium vellet* (sc. P. Apuleius), *una voce cuncta contio declaravit nihil esse* et q. s.

Plura enuntiata diversi ordinis praebet protasis in tribus simillimis locis:

p. Cluent. 105: *a quibus si quaereret sedissentne iudices in C. Fabricium, sedisse se responderent.*

p. Scaur. 33: *a quo cum quaereretur quam provinciam aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum . . . inquireret, postulavit.*

de off. II 89: *a quo cum quaereretur quid maxime in re familiari expediret, respondit: „Bene pascere.“*

b. Pronomen relativum pro casu attributi aut obiecti casum subiecti sumit:

Cum pronomen constructionem enuntiati secundarii sequitur, etiam contrarium fieri potest atque in locis proxime praecedentis partis; pronomen enim relativum sumit casum subiecti.

Pro Genetivo:

In protasi unum enuntiatum:

de nat. deor. III 44: *Quid enim, aiebat, si hi fratres sunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno negari potest . . .? qui si est deus, patrem quoque eius, Coelum, esse deum confitendum est.* (potuit dici: cuius, si ipse est deus, patrem q. . . .)

de re p. II 37: *Qui* (sc. Servius Tullius) *cum . . . ad epulas regis adsisteret, non latuit scintilla ingenii, quae iam tum tum elucebat in puero.* (pro cuius, cum . . . adsisteret, non latuit scintilla . . .)

Plura enuntiata:

Eiusdem ordinis; unum eiusmodi invenimus locum atque illum in oratione obliqua:

de nat. deor. II 124: *Legi etiam scriptum esse avem quandam, quae platea nominatur; eam sibi cibum quaerere advolantem ad eas aves, quae se in mari mergerent; quae cum emersissent piscemque cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent, in quod ipsa invaderet.* (poterat dici: quarum, cum (eae) . . . cepissent, usque eo p. c. m. . . .)

Diversi ordinis:

de leg. I 62: *Quae cum tot res tantaeque sint, quae*

inesse in homine perspiciantur ab iis, qui se ipsi velint nosse, earum parens est educatrix que sapientia. (dici potuit: Quarum rerum, cum (eae vel illae) . . . , parens est . . .)

Pro Dativo:

Omnes, quos invenimus, loci unum enuntiatum in protasi exhibent:

in Verr. l. V 45: *qui si quo publice proficisceris, praesidii et vecturae causa sumptu publico navigia praebentur*; de div. II 20: *Qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset, quod proxima nocte corruit.*

Item: p. Flacc. 90 (*qui si*); ad fam. IV 5, 4 (*quae si*).

Pro Accusativo:

In protasi solum enuntiatum relativum:

de fin. II 64: *Aberat omnis dolor; qui si adesset, nec molliter ferret et tamen medicis plus quam philosophis uteretur*; de fin. II 2: *Qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit* et q. s; Phil. XIII 17: *Qui si reliquis flagitiis et sceleribus se abstinere potuisset, tamen unum ob hoc factum dignum illum omni poena putarem*; Tusc. disp. IV 43: *oratorem denique non . . . probant* (sc. Peripatetici) *sine aculeis iracundiae, quae etiamsi non adsit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur*; p. Sest. 126: *qui tamen quoquo tempore conspectus erat, non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant* (pro: quem tamen, quoquo . . . .); p. Arch. 6: *venit Heracleam; quae cum esset civitas aequissimo iure ac foedere, adscribi se in eam civitatem voluit* (pro: in quam civitatem, cum esset [i. e. civitas] aequissimo . . .); de or. II 21: *„auditores discum audire quam philosophum malunt; qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt.“* — Hoc loco

poterat dici: quem de maximis et g. r. disputantem philosophum, simul ut increpuit, in media oratione o. u. c. relinquunt. Sed cum auctor pronomen relativum in eius relationem non ad verbum primarium sed ad secundarium cogitaverit et exprimere voluerit illud a verbis suis: *de maximis reb. et gr. disput. phil.* diiunxit et in enuntiato relativo solum collocavit; — quod saepius occurrit.

Tusc. disp. I 84: *Mitto alios; etiamne nobis expedit? qui et domesticis et forensibus solaciis ornamentisque privati certe si ante occidissemus, mors nos a malis, non a bonis abstraxisset.* — (Poterat dici etiam: quos et domesticis et . . . privatos certe, si . . . occidissemus, . . . abstraxisset. aut: quos certe, si a. occidissemus, et domesticis . . . aut: qui certe si ante occidissemus, mors nos et domesticis et . . . privatos a malis . . . abstraxisset . . .)

Saepius hanc invenimus formam cum pronomen relativum neutrius est generis:

p. Flacc. 13: *Quae quamquam utilia sunt causae, timide tamen dico.*

de div. I 37: *quae quia nota tibi sunt, relinquo.*

p. Rosc. A. 49: *Quod tametsi miserum et indignum est, feret tamen aequo animo, si per vos vitam et famam potest obtinere.*

Item: p. Flacc. 14 (*quae quoniam*); de har. resp. 47 (*quae quamdiu*); ad. fam. XI 29,3 (*quae tibi ne*); ad. Q. fr. II 1, 44 (*quod si*); ad. Att. III 7, 3 (*quae quamquam*); IX 13, 5 (*quae si*).

Notio pronominis relativi subauditur in enuntiato primario (apodosi) ut subiectum logicum accusativi cum infinitivo:

de or. II 209: *quae si inflammanda sunt, maxime dicendum est non esse virtute parta, deinde* et q. s.

Item: p. Cluent. 160 (*quae quia*); ad fam. VI 12, 2 (*quod si*); ad Att. IX 11 A. 3 (*quae si*); de nat. deor. II 155 (*quae si*).

Structura, cum in protasi solum enuntiatum relativum occurrit, etiam in continuatione orationis reperitur:

ad Att. X 16, 3: *Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit et si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est* et q. s.

hoc loco verba *et si* pro et qui si atque haec ipsa, quae structuram II praebent, pro structurae I conformatione: et apud quem, si ponuntur; scilicet: relativum structurae I apud quem, structura II facta, constructionem enuntiati secundarii sequitur atque hoc modo casum nominativum sumit (qui), qui casus non exprimitur, quia orationem continuat quae ab praecedente relativo incipit (*qui Siciliam*); verum eius notio exprimitur in enuntiato primario eodem demonstrativi casu, quo relativum fuisset, si constructionem enuntiati primarii secutum esset.

Pariter atque ad structuram I (cf. pg. 16) unum invenimus locum, ubi pronomen relativum omitti videtur:

de or. I 228: *quod item apud Catonem scriptum esse video: nisi pueris et lacrimis usus esset, poenas eum daturum fuisse.*

Ubi totum exemplum est in oratione obliqua; dici fortasse potuit: qui nisi . . .

In protasi plura enuntiata:

Eiusdem ordinis:

de fin. I 23: *Quod quamquam Aristippi est a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur, tamen eiusmodi esse iudico, ut* et q. s.

Item: in Cat. III 3 (*quae quoniam*);

Forma a: (b:A):

de or. I 239: *accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticanum; qui cum Crassum seduxisset atque ad eum retulisset responsumque ab eo verum magis quam ad suam rem accommodatam abstulisset, ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit quaesivitque qua de re ad*

Crassum retulisset; (poterat dicere: quem, cum ille Crassum . . .); quo loco recte Piderītus in editione fecit, cum post relativum *qui* non distingueret.

Diversi ordinis:

p. Caecin. 28: *qui cum ita vehemens acerque venisset, ut non modo Caecinam periurio suo laederet, sed etiam mihi videretur irasci, ita eum placidum mollemque reddidi, ut* et q. s.; de fin. III 21: *quod cum positum sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet.*

Item: p. Sull. 63 (*qui si*); Phil. V 21 (*quae quamquam*); de fin. II 105 (*quae si*).

Nonnunquam asperius dicitur cum relativum est masculini aut feminini generis et eius notio in enuntiato primario non exprimitur:

de nat. deor. III 35: *Heraclitum, ut opinor, sequentes, quem ipsum non omnes interpretantur uno modo*; *qui quoniam quid diceret intellegi noluit, omittamus;*

Magis aspere cum idem in oratione obliqua fit:

in Verr. A. I 25: *Siculos in eo sane liberos fuisse, qui quam ob rem arcesserentur cum intellegerent, non venisse.* — (cf. pg. 88 loc. de or. I 228).

In forma a: (b:A), pro *b* locutio participialis:

de div. I 79: *Qui cum esset in cunabulis educareturque in Selonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu lumine adposito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu* cf. pg. 88 loc. de or. I 239);

Denique conspicue dixit Cicero in loco qui legitur in II lib. de or. 253, quem, ut saepe alios similes locos, multi viri docti mutare voluerunt: *ut illud in Titium; qui cum studiose pila luderet et idem signa sacra noctu frangere putaretur gregalesque, cum in campum non venisset, requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod cum brachium fregisse diceret.*

Pro Ablativo:

Omnes huius generis loci solum enuntiatum relativum in protasi exhibent:

part. orat. 69: *quod cum latum genus esse potest saneque varium, unum ex eo delegimus, quod* et q. s. (pro ex quo, cum (id) . .); p. Cluent. 33: *quae cum se esse respondisset, ab ea petivit, ut* et q. s. (pro: a qua, cum se . . .).

Item: Phil. I 38 (*quae potestas si*); de nat. deor. I 12 (*quae quamquam*); 22 (*quae si*).

In enuntiato relativo interrogatio obliqua:

in Verr. l. III 59: *qui quemadmodum essent accepti, iudices, audistis ex ipsis;* (pro: ex quibus, quemadmodum . . .; ipsis pro iis ipsis; de interrog. obl. cf. pg. 48);

Conspicua exsistit conformatio, cum pro enuntiato relativo ablativus absolutus ponitur:

de fin. V 17: *Totius enim quaestionis . . . fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturae; quo invento omnis ab eo quasi capite de summo bono et malo disputatio ducitur* (pro qui cum inventus est . . .; atque id poni potest pro: a quo, cum inventus est . . .).

c. Relativum sumit casum attributi aut obiecti enuntiati secundarii pro casu obiecti aut attributi enuntiati primarii.

Aliquot tantum huius generis invenimus locos:

Genetivus ponitur:

Pro dativo:

in Verr. III 13: *Perpaucae Siciliae civitates sunt bello a maioribus nostris subactae; quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus* (poterat dici: quibus, cum earum . . .); de div. I 32: *Ex quo factum est ut eum ad se rex Priscus arcesseret; cuius cum*

temptaret scientiam auguratus, dixit ei cogitare se quiddam; (pro: cui, cum eius . . .).

Pro accusativo:

p. Cluent. 43: *quorum cum satis magnus numerus esset cumque item, ut in Sicilia permulti Venerii sunt, sic illi Larini in Martis familia numerarentur, repente Oppianicus eos omnes liberos esse civesque Romanos coepit defendere.* — (pro: quos, cum satis magnus eorum esset numerus . . .).

Item: de div. II 61 (*quorum omnium causas si*); acad. post. fragm.; edit. Orell. pg. 74 v. 12 sq. (*in quorum rixam si*).

Pro ablativo:

In oratione obliqua:

Tusc. disp. V 8: *cuius* (i. e. Pythagorae) *ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret;* (pro: ex quo, cum eius . . .).

Dativus ponitur:

Pro Genetivo:

Phil. IX 10: *Cui si statuam in rostris decreto vestro statueritis, nulla eius legationem obscurabit oblivio.* — (poterat dici: cuius legationem, si illi (ei) . . .).

Pro accusativo:

de or. III 230: *Cui quamquam faveo, tamen illum aetati suae praestare cupio;* Or. 19: *Quod si ille nec se nec L. Crassum eloquentem putavit, habuit profecto comprehensam animo quandam formam elequentiae, cui* (i. e. formae eloquentiae) *quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid aut plura deerant, in eam formam non poterat includere* (pro: in quam, quoniam ei formae . . .).

Pro ablativo:

de off. II 82: *Cui* (i. e. regi Ptolemaeo) *cum exposuisset patriam se liberare velle causamque docuisset, a rege*

opulento vir summus (i. e. Aratus Sicyonius) *facile impetravit ut grandi pecunia adiuvaretur* (dici poterat: a quo, ut erat rex opulentus, vel.: a quo rege opulento, cum ei . . .; *rege opulento* velut appositionem intellegimus demonstrativo subaudito eo adiunctam).

In oratione obliqua:

Cato m. 64: *Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam:* (pro: ex quibus, cum eis . . .).

Accusativus ponitur:

Pro genetivo:

ad fam. XI 6, 3: *quod quamquam intellego me cum multis esse facturum, tamen appetam huius rei principatum* (dici potest: cuius rei, quamquam intellego me eam . . .).

Pro verbo finito et particula subiunctiva participium ponitur:

Or. 9: *quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat* (potest dici: quam cum intuebatur . . . pro: ad cuius similitudinem, cum eam intuebatur in eaque defixus erat, artem et . .).

Pro dativo:

ad. fam. III 1, 2: *quem cum Romam remittes — quod, ut putabamus, celeriter eras facturus — omnibus ei de rebus, quas agi . . . mandata des velim;* (pro cui, cum eum . . .; in apodosi enuntiatum subst. et locutio quae illud regit).

Pro accusativo cum praepositione:

ad Att. I 5, 2: *Quem cum esse offensiorem arbitrarer, eas litteras ad eum misi, quibus et* et q. s. (pro ad quem, cum eum . . .).

Pro ablativo:

p. Rosc. A. 33: *quos quia servare per composi-*

tionem volebat, ipse ab iis interemptus est; (pro a quibus, quia eos . . .).

Item: ad. fam. XIII 21, 1 (*quem si*).

In oratione obliqua:

de nat. deor. II 125: *Ranae autem marinae dicuntur obruere sese harena solere et moveri prope aquam; ad quas quasi ad escam pisces cum accesserint, confici a ranis atque consumi* (pro: a quibus, cum ad eas quasi . . .).

Ablativus ponitur:

Pro genetivo:

p. Mur. 29: *Deinde vestra responsa atque decreta et evertuntur saepe dicendo et sine defensione oratoris firma esse non possunt; in qua si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem; nunc nihil de me dico, sed de* et q. s. (dici potuit: de cuius laude, si in ea . . .).

Conspectus conformationum structurae II.

Notio[1]) pronominis relativi in utroque enuntiato:

1. In eodem casu:

a. Exprimitur in enuntiato primario vel apodosi:

ad. fam. I 2, 3: *Quem ego ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis;*

b. Non exprimitur:

Phil. XIV 28: *cui cum imperium dabamus, eodem tempore etiam spem eius nominis deferebamus:*

2. In alio casu:

---

[1]) De notione pronominis relativi praeter alios R. Kuehnerus (Ausf. Gramm. pg. 867) non recte iudicat, cum dicit eam in enuntiato primario non exprimi, nisi eius casus alius sit atque nominativus aut accusativus; quod exemplis videri potest velut his:

Tusc. d. II 61: *quem ut vidisset et salutavisset . . molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire, at ille „tu vero“ inquit, „potes“;* Tusc. d. II 20: *cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam*

a. Exprimitur in enuntiato primario:

p. Rosc. A. 33: *quos quia servare per compositionem volebat, ipse ab iis interemptus est.*

b. Non exprimitur:

in Cat. II 5: *quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum praetoris ostendero. concident.*

Pronomen relativum spectat:

1. Ad ea quae praecedunt atque habet vim:

a. correlativam:

de re p. I 7: *Is enim fueram. cui cum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris . . . . non dubitaverim me . . tempestatibus . . . obvium ferre* et q. s.

b. relativam:

or. c. s. gr. eg. 23: *Non est mei temporis iniurias meminisse, quas ego etiam si ulcisci possem, tamen oblivisci mallem.*

c. demonstrativam:

de nat. d. II 62: *quorum cum remanerent animi . . ., rite di sunt habiti.*

2. Ad ea quae sequuntur:

p. Balb. 33: *De quibus igitur etiamsi latum esset ne quem civem reciperemus, tamen id esset, quod postea populus iussisset, ratum nec . . ., de iis cum populus Romanus nihil umquam iusserit, quidquam audes dicere sacrosanctum fuisse?*

Relativum fungitur munere attributi:

in Cat. II 21: *qui homines primum si stare non possunt, corruant*

aut adverbii:

de fin. III 7: *Quo cum venissem, M. Catonem . . vidi* et q. s.

Post relativum alterum relativum:

---

tunicam induisset . . ait ille; de fin. II 2: *Qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit* et q. s. et permulta alia eiusdem generis exempla.

Notio pronominis relativi potest exprimi in enuntiato primario in omni casu; quae quidem, cum eius casus est nominativus aut accusativus, non exprimi solet, sed tamen exprimitur semper, cum confusio oriri possit aut cum graviter dicenda est. — Ex quo exstitit illa conformatio, in qua notio relativi, non pronomine demonstrativo sed nomine substantivo ipso exprimitur:

de dom. 15: *commutatam annonam esse dicebant: quae quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me, cuius adventu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur.*

Tusc. d. I 92: *quam qui leviorem faciunt, somni simillimam volunt esse.*

Pronomen relativum:

1. Non mutat formam suam:

de re p. I 21: *cuius ego sphaerae cum persaepe . . . nomen audissem, speciem ipsam non sum tanto opere admiratus.*

2. Mutat formam suam:

a. Pro casu subiecti casum obiecti aut attributi sumit, id est:

Genetivum: Br. 40: *Cuius etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum;*

Dativum: p. Planc. 97: *cui cum omnis metus . . . proponeretur, haec perpeti maluit, quam* et q. s.;

Accusativum: Tusc. V 30: *quos si titulus hic delectat . . . inducant animum illa . . . contemnere* et q. s.;

Ablativum: de nat. d. I 60: *auctore utar Simonide, de quo cum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi sibi unum diem postularit.*

b. Casum subiecti sumit pro casu attributi aut obiecti, id est:

Pro genetivo: de leg. I 62: *Quae cum tot res tantaeque sunt, quae . . .. earum parens est educatrixque sapientia;*

Pro dativo: de div. II 20: *Qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset, quod proxima nocte corruit:*

Pro accusativo: de fin. II 64: *Aberat omnis dolor, qui si adesset, nec molliter ferrit* et q. s.;

Pro ablativo: p. Cluent. 33: *quae cum se esse respondisset, ab ea petivit, ut* et q. s.

c. Casum attributi aut obiecti enuntiati secundarii pro casu obiecti aut attributi enuntiati primarii:

Casum genetivum:

Pro dativo: de div. I 32: *Ex quo factum est ut eum ad se rex Priscus arcesseret; cuius cum temptaret scientiam auguratus, dixit ei cogitare se quiddam;*

Pro accusativo: p. Cluent. 43: *quorum cum satis magnus numerus esset . . . repente Oppianicus eos omnes liberos esse . . . coepit defendere;*

Pro ablativo: Tusc. d. V 8: *cuius* (i. e. Pythagorae) *ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret* (in oratione obliqua).

Casum dativum:

Pro genetivo: Phil. IX 10: *Cui si statuam in rostris decreto vestro statueritis, nulla eius legationem obscurabit oblivio*; (poterat dici: cuius legationem, si illi (ei);

Pro accusativo: Or. 19: *Quod si ille nec se nec L. Crassum eloquentem putavit, habuit profecto comprehensam animo quandam formam eloquentiae, cui* (i. e. formae eloquentiae) *quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid aut pluradeerant in eam formam non poterat includere* (pro in quam, quoniam ei formae);

Pro ablativo: Cato m. 64: *Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam* et q. s. (pro ex quibus, cum eis . . .; in oratione obliqua).

Casum accusativum:

Pro genetivo: ad fam. XI 6, 3: *quod quamquam intellego me cum multis esse facturum, tamen appetam huius rei principatum* (dici potuit: cuius rei, quamquam intellego me eam . . .);

Pro dativo: ad fam. III 1, 2: *quem cum Romam remittes . . . omnibus ei de rebus, quas. agi . . . mandata des velim;*

Pro ablativo: p. Rosc. A. 33: *quos quia servare per compositionem volebat, ipse ab iis interemptum est.*

Casum ablativum:

Pro genetivo: p. Mur. 29: *in qua si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem* (pro: de cuius laude, si in ea . . .).

Protasis constat:

1. Ex uno enuntiato:

de off. III 94: *cui cum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti filii* et q. s.

2. Ex pluribus enuntiatis:

a. Eiusdem ordinis et quae particula coordinativa coniunguntur vel coniungi possunt:

Br. 309: *qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus*; p. Planc. 31: *qui si esset turpissimus, si sordidissimus, tamen ipso nomine patrio valeret apud clementes iudices et misericordes.*

Non coniunguntur nec possunt coniungi: a (b : A):

in Verr. IV 48: *Qui cum in convivium venisset, si quidquam celati adspexerat, manus abstinere iudices non poterat.*

b. Diversi ordinis:

Brut. 130: *qui etsi, cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat.*

c. Utriusque ordinis:

or. c. s. gr. eg. 37: *Qui cum statuisset, nisi per vos me eci-r perasset, eandem subire fortunam, atque idem sibi domicilium et vitae et mortis deposceret, tamen nunquam nec magnitudinem negotii nec . . . pertimuit.*

Parenthesis collocatur:

Inter protasin et apodosin:

Top. 64: *quae quamquam sunt voluntariae — obiurgatione enim et admonitione deiiciuntur — tamen habent tantos motus, ut* et q. s.

Inter partes enuntiati relativi:

Phil. I 10: *qui quamquam parum erat — id enim ipsum a Bruto audieram — a quibus debuerat adiutus, tamen . . . magnam mihi videbatur gloriam consecutus.*

aut inter partes primi enuntiati conformationis a (b : A): de or. II 313; aut inter primum et alterum eiusdem conformationis (a c./b : A) enuntiatum: Br. 115.

In protasi pro enuntiato relativo enuntiatum substantivum et locutio a qua illud pendet:

ad fam. X 31, 2: *quem tametsi nemo est qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus est oderunt homines* (cf. quem tametsi nemo videre velit).

In apodosi pro enuntiato primario usurpari potest enuntiatum substantivum et locutio a qua illud pendet:

de div. II 128: *quae si alia falsa alia vera, qua nota internoscantur scire sane velim;* ad Q. fr. I 1, 19: *Quae cum honesta sint, divina videantur necesse est.*

Structura II dupliciter fit:

p. Sull. 74: *Qui cum multa haberet invitamenta urbis et fori . . . afuit ab oculis vestris et cum lege retineretur, ipse se exsilio paene multavit.*

Structura II in oratione obliqua:

Cat. m. 64: *Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam.*

In enuntiato relativo pro particula quadam subiunctiva vel adverbiali, particula interrogativa ponitur, a qua interrogatio obliqua incipit:

in Verr. l. III 59: *qui quemadmodum essent accepti, iudices, audistis ex ipsis.*

Pronomen relativum videtur subaudiri:

de or. I 228: *quod item apud Catonem scriptum esse video: nisi pueris et lacrimis usus esset, poenas eum daturum fuisse* (potuit dici: qui nisi . . .).

Pro enuntiato relativo participium coniunctum:

Tusc. d. V 78: *quorum imbutae mentes pravitatis erroribus quamvis carnuficinam prius subierint quam* et q. s.; de nat. d. I 122: *qui nulla re egentes et inter se diligunt et hominibus consulunt.*

Etiam ablativus absolutus pro enuntiato relativo:

p. Cluent. 125: *cuius ministris consciisque damnatis ipse adductus in iudicium pecuniam iudici dederit.*

Quam frequenter Cicero in singulis scriptorum suorum generibus conformationibus structurae II usus sit facile videri potest ex hac tabella:

Orationis conformationes		Nominativus				Genetivus				Dativus				Accusativus				Ablativus				
		Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	
a. Relativum non mutat casum suum		46	138	32	105	1	5	—	2	—	7	4	4	8	15	14	10	2	32	15	7	447
b. Relativum mutat casum suum	1. Pro casu subiecti enuntiati primarii sumit casum attributi aut obiecti enuntiati secundarii.	pro Nominativo:				2	2	—	5	2	5	4	7	2	7	2	7	—	3	1	2	51
	2. Sumit casum subiecti enuntiati secundarii pro casu attributi aut obiecti enuntiati primarii.	Nominativus pro:				—	—	—	4	—	2	1	1	5	13	7	11	1	3	—	2	50
	3. Pro casu attributi aut obiecti enuntiati primarii sumit casum obiecti aut attributi enuntiati secundarii.	Relativum praebet casum:				—	2	—	4	2	1	—	2	—	1	4	1	—	1	—	—	18
		46	138	32	105	3	9	—	15	4	15	9	14	15	36	27	29	3	39	16	11	566

Caput III.

Exempla, de quibus in hoc capite tractabimus, orationis conformationem exhibent, in qua pronomen relativum tantum enuntiati secundarii constructionem sequi potest et eius notio tantum enuntiato secundario attribuitur; deinde, ut in structura II, sic in huius tertiae structurae locis enuntiatum secundarium praecedit et praeter pronomen relativum, unde incipit, etiam particulam subiunctivam aut alterum relativum complectitur; haec igitur structura III formas structurae I, cum enuntiatum secundarium subsequitur, praebere non potest. Quod ut aperte perspiciatur, conferantur velim hi tres loci in quibus occurrit:

Structura I: de dom. 139: *qui, cum eum multi . . . impedirent, restitit;*

Structura II: Tusc. disp. II 60: *quem cum Cleanthes rogaret . . . respondit;*

Structura III: Phil. XIII 28: *qui si omnes viverent, bellum omnino hoc non fuisset.*

De ratione, quae inter has tres structuras intercedit, in altera disputationis parte plene dicemus, ubi earum naturam explanare temptabimus. Hoc loco exempla structurae III disponere, eorum varias formas aperire, eas, cum necesse sit, explicare volumus. Atque ut eodem tempore accuratius appareat, quantopere haec tertia structura ad conformandam Ciceronis orationem contulerit, in disponendis locis non solum protasis[1]), verum etiam apodosis rationem habebimus. Ceterum ut in reliquis capitibus locos disponemus secundum casum pronominis relativi. Cuius pronominis casus est:

---

[1]) Haec nomina, protasis et apodosis, quamquam non omnino proprie dicuntur, cum de comprehensionibus relativis agitur, tamen, quoniam maxime apta sunt ad aperte et simpliciter enarrandum, liceat nobis, ut hucusque fecimus, ita ea in sequentibus usurpare.

Nominativus.

Permultas et varias orationis formas praebent loci, quorum pronomen relativum casu nominativo effertur; ex eis, quae insequuntur, elucebit, quam magni fuerint momenti conformationes huius structurae ad varie, accurate, eleganter dicendum.

a. Et protasis et apodosis ex uno enuntiato constant:

Tusc. disp. IV 8: *quae si non cadent in sapientem, semper mens erit tranquilla sapientis;* ad fam. XII 25, 4: *qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio pestis patriae fuisset;* Tusc. disp. I 114: . . . *diem tertium; qui ut inluxit, mortui sunt reperti.*

Item: de inv. I 18 (*quae si*); 60 (*quae si*); de or. II 204 (*quae cum*); 237 (*qui quia*); III 186 (*quae si*); Br. 44 (*quae quamquam*); 217 (*qui nisi*); Or. 148 (*quae si*); 197 (*qui tamen si*); part. or. 103 (*quod si*); p. Rosc. A. 62 (*quae nisi*); 150 (*quae si*); in Verr. l. I 6 (*qui si*; in apod. etiam acc. c. inf.); 23 (*quae cum*; in ap. e. acc. c. inf.); l. II 69 (*qui cum*); 91 (*quod cum*); l. V 141 (*quod isti simul ac*); p. Cluent. 36 *qui ut*; in ap. e. acc. c. inf.); 69 (*quae pecunia simul atque*; in ap. e. acc. c. inf.); 116 (*quae res si*); 159 (*quae si*); in Cat. IV 23 (*quae dum*; in ap. e. acc. c. inf.); p. Sull. 54 (*quae si*); p. Flacc. 32 (*qui cum*); 52 (*quae si*); p. Sest. 31 (*qui cum*); de dom. 6 (*quod cum*; in ap. e. acc. c. inf.); 40 (*quod si*); in Pis. 61 (*quae vacua si*); Phil. I 26 (*quae si*); V 32 (*quae si*); XI 17 (*quod cum*); XIII 28 (*qui si*); XIV 15 (*quod cum*); ad. fam. I 8, 7 (*quae si*); X 1, 2 (*quae si*); XI 6, 3; (*quod cum*): XII 6, 2 (*qui si*); XIII 18, 2 (*quod cum*); XIV 2, 3 (*quod si conficitur negotium*); XVI 7 (*qui si*); 27, 1 (*qui nisi*); de pet. cons. (*quae si*; in ap. e. acc. c. inf.); ad Att. I 20, 2 (*quod si*); II 17, 1 (*quae si*): III 10, 3 (*quae si*); IV 1, 7 (*qui si*); 18, 1 (*quae si*); VI 6, 3 (*qui posteaquam*); VIII 15 A., 2 (*quod si*; Balbus scribit); XI 9, 1 (*quae si*); XVI 1, 4 (*quod si*); 3, 4 (*quod quidem si*); ad Br. I 14, 1 (*quae si*); acad. post. I 14 (*quae cum*); de fin. II 119 (*quae cum*) IV 80 (*quae cum*); Tusc. disp. I 63 (*quod si*); III 19 (*quod quoniam*); IV 62 (*quae quo*); 64 (*quae si*); V 51 (*quod quidem nisi*); 52 (*quae nisi*); de nat. deor. II 25 (*qui quam*

diu); 36 (*quod quoniam*); de div. I 68 (*qui cum*); 73 (*qui cum*); II 123 (*quae quoniam*); 126 (*quod quoniam*); 150 (*quae cum*); Cat. m. 19 (*quae nisi*); 67 (*quod ni*); ibid. (*qui si*); 76 (*quod cum*); Lael. 80 (*quod nisi*); de re p. I 12 (*quae ne*); 25 (*qui ut*); 52 (*qui si*); de leg. I 23 (*quae cum*); de leg. I 30 (*quae si*); de leg. fragm. edit. Orell. pg. 923 v. 6 sq. (*quod si*).

Omnino eadem est orationis conformatio cum in protasi locutio: quae cum ita sint aut alia ei similis occurrit; quae locutio, quantum ad sensum aut ad usus rationem attinet, non multum differt a particulis velut: qua re, quocirca, quapropter, quamobrem. Tales locos autem separatim hic disponimus, ut videatur uno conspectu quam frequenter et in quibus scriptis ea locutione Cicero utatur:

in Cat. IV 9, 18: *Quae cum ita sint, patres conscripti, vobis populi Romani praesidia non desunt;* ad Att. V 2, 3: *Quod si ita est, magnos motus timeo.*

Item: de or. III 84 (*quod si ita est*); p. Quinct. 65 (*quod cum ita sit*); in Verr. A. I 15 (*quae cum ita sint*); l. II 179 (*quod cum ita sit*); Phil. V 52 (*quae cum ita sint*); ad fam. II 16, 2 (*quod cum ita esset*); ad Att. XIV 17 A., 7 (*quod cum ita sit*); XVI 16 C., 13 (*quod cum ita sit*); ad. Br. I 15, 3 (*quod si ita est*); de fin. V 12 (*quod si ita se habeat*); de fat. 31 (*quod si ita est*); Cato m. 35 (*quod ni ita fuisset*); de off. III 13 (*quae cum ita sint*; in ap. e. acc. c. inf.); III 27 (*quod si ita est*); 108 (*quod ni ita esset*); de leg. I 45 (*quod si ita est*); 49 (*quod ni ita est*).

In oratione obliqua:

de inv. I 72: *Sunt autem, qui putant . . .; quod si fiat, bipartitam fieri argumentationem;*

Item: ad Att. X 4, 8 (*quod si*); ibid 9 (*quae si*); Cato m. 78 (*quod si*);

Apodosis facit interrogationem rectam:

Phil. V 42: *qui nisi fuisset, quis nostrum esse potuisset?* Phil. XII 22: *quod cum ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis?*

Item: de or. II 232 (*quae si*); in Verr. l. IV 25 (*quae nisi*); 77 (*quod cum*); p. Sest. 50 (*quod si*); ad Att. IV 17, 1 (*quod*

cum); Tusc. disp. III 74 (*quae si*); de off. II. 29 (*quae si*); III 105 (*quae si*); de leg. I 25 (*quod cum*);

Cum pronomen relativum correlativam vim habet et tota structura III pars est posterior interrogationis:

de dom. 110: *Eumne potissimum Libertas domo sua debuit pellere, qui nisi fuisset, in servorum potestatem civitas tota venisset?*

Item: p. Balb. 9 (*quod si*);

Apodosis exclamationem facit:

in Verr. l. II 46: *Qui simul ac profugit, quam impudenter . . . illa bona direpta sunt!*

Inter protasin et apodosin parenthesis ponitur:

de off. I 120: *Quod si acciderit, — potest enim accidere — facienda morum institutorumque mutatio est.*

Item: ad. Att. XIII 32, 1 (*quae cogitatio si*);

Cum parenthesis longior est, paulum mutata conformatione, repetitur enuntiatum unde interrupta est oratio:

ad. Q. fr. II 3, 2: *Qui ut peroravit — nam in eo sane fortis fuit; non est deterritus; dixit omnia, atque interdum etiam silentio, cum auctoritate peregerat —, sed ut peroravit, surrexit Clodius.*

Nonnunquam post pronomen relativum ponitur alterum relativum, cui in apodosi demonstrativum respondet:

p. Arch. p. 21: *quae quorum ingeniis efferuntur, ab iis populi Romani fama celebratur.*

Item: de off. II 38 (*quod in quo*).

Sicut in structura II pro particula subiunctiva et verbo finito participium poni potest, ita fit nonnunquam in structura III; sed cum in exemplis huius structurae notio pronominis relativi tantum in enuntiato secundario occurrit, pro toto hoc enuntiato ablativus absolutus saepe usurpatur:

ad Att. XII 1, 2: *qua lecta, de Atticae febricula*

scilicet valde dolui; p. Scaur. 22: *quibus rebus explicatis, tum denique ad hoc horribile et formidulosum frumentarium crimen accedam;* de nat. deor. II 75: *quo concesso confitendum est eorum consilio mundum administrari.*

Item: de inv. I 31 (in ap. e. acc. c. inf.); 63; 85; de or. II 110 (in ap. e. acc. c. inf.); 132; III 4; 153; Br. 180; 260 (in ap. acc. c. inf.); 271; Top. 95; p. Cluent. 40; de dom. 38 (acc. c. inf. in ap.); p. Sest. 11; 25; Phil. IV 5; ad fam. IV 2, 1 (in ap. acc. c. inf.); VII 30, 1; X 15, 2; XV 4, 4; ad Att. III 14, 1 (in ap. e. acc. c. inf.); VII 2, 4; XVI 15, 2 (in ap. e. acc. c. inf.); acad. pr. II 40; 116; de fin. IV 48; V 43; Tusc. disp. V 45; de nat. deor. I 45; II 75 (in ap. acc. c. inf.); de div. I 27; II 123; de fat. 23, Cat. m. 22; 24; de off. I 32; III 28; 49; 109; 116; de re p. II 5; 27; Timae. cap. 11 (pg. 1007 v. 13 sq.).

Elegans et memorabilis exsistit forma, cum subiectum logicum ablativi absoluti, quod eodem tempore et subiectum grammaticum est enuntiati primarii et pronomine aliquo exprimitur, inter illius partes collocatur:

p. Sest. 11: *ego litteris P. Sestium Capua arcessivi . . .; quibus hic litteris lectis ad urbem confestim incredibili celeritate advolavit*; ad fam. X 15, 2: *quibus rebus ego cognitis cunctatus non sum;*

Pro participio ponitur:

Nomen adiectivum:

Phil. XI 24: *quo salvo salvi sumus futuri.*

Item: ad Br. I 16, 5 (*quo invito*).

Nomen verbale:

de leg. I 20: *qua duce nobis omnis est disputatio explicanda.*

Item: Br. 107 (*duce*); de fin. I 43 (*praeceptrice*); de leg. III 37 (*auctore*); Tusc. disp. IV 5 (*adulescentibus*).

b. Protasis ex pluribus, apodosis ex uno enuntiato constat:

Enuntiata, quae protasin faciunt, sunt aut eiusdem ordinis aut inferioris ordinis quam enuntiatum relativum aut et eiusdem et inferioris ordinis:

Eiusdem ordinis:

Coniunguntur aut coniungi possunt particula coordinativa:

p. Rosc. A. 139: *qui posteaquam magistratus creavit legesque constituit, sua cuique procuratio auctoritasque est restituta;* ad fam. VI 4, 4: *Quod etsi casu, non divinatione mea factum est, tamen in hac inani prudentiae laude delector.*

Item: de imp. Cn. Pomp. 58 (*qui si;* in ap. et acc. c. inf.); Phil. XIV 15 (*quod ut*); ad Br. I 10, 4 (*qui si*); ad fam. VI 4, 4 (*quod etsi*); Lael. 83 (*quae si*);

Forma a:(b:A), cum enuntiata non coniunguntur nec possunt coniungi:

ad Att. XV 20, 4: *quae si fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxius, tamen ei propemodum nihil deerit.* —

Item: in Cat. II 23 (*qui nisi*); de dom. 84 (*qui si*); p. Planc. 98 (*qui antequam*); ad. fam. II 6, 4 (*qui si*); VIII 1, 1 (*quod exemplum si*).

Hoc loco ponimus etiam exemplum quod legitur in orat. p. Cael. 65: *quae cum iam erat tradita servis, si evasissent subito ex balneis mulieris amici Liciniumque comprehendissent, imploraret hominum fidem atque a se illam pyxidem traditam pernegaret;* in quo loco, quantum ad iuncturam enuntiatorum attinet, eadem occurrit orationis conformatio atque in Phil. or. VI 17: *Qui cum redierint, si pacem afferent, cupidum me, si bellum, providum iudicatote.*

Inter protasin et apodosin parenthesis:

Phil. II 37: *qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis — mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur — rempublicam hodie teneremus.*

Notanda est haec forma:

de nat. deor. I 24: *Atqui terrae maxumas regiones inhabitabiles atque incultas videmus, quod pars earum ad-*

pulsu solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque longinquo solis abscessu; quae, si mundus est deus, quoniam mundi partes sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. —

Quae forma, nisi fallimur, ab usitatissima sermonis Latini cousuetudine profecta est, qua diversae orationis partes arcte inter se pronomine relativo coniungi solent. Quam diffuse dixisset auctor, si hac forma usus esset: si mundus est deus, quoniam illae mundi partes sunt et q. s. facile videri potest. Hoc modo: a: (b:A) fit b (a) b:A. haec est altera conformatio formae a:(b:A) (cf. notam pg. 51), quam Naegelsbachius[1]) non animadvertisse videtur.

Item: in Pis. 17: *Tu es ille cui crudelitas displicet? qui, cum senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, cum videres maerere rem publicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid facis?*

Eadem fere forma, sed pro enuntiato subiunctivo, interrogatio obliqua:

part. orat. 42: *Nempe igitur ea restant, quae, cum et factum constat et nomen, qualia sint, vocatur in dubium.* (cf. p. Quinct. 1, 4);

Item: de fin. II 117 (*quae, nisi*).

Pro uno vel omnibus enuntiatis eiusdem ordinis ablativus absolutus:

Enuntiata coniunguntur:

de leg. II 11: *quibus illi adscitis susceptisque honeste beateque viverent;* ad Att. XVI 7, 3: *quibus invitis et dissuadentibus profectus sum.*

Item: Top. 75; p. Mur. 33; ad fam. XII 5, 6; Tusc. disp. III 72.

Enuntiata non coniunguntur:

de div. I 31: *Qua re celebrata, cum vicini omnes ad*

1) op. all. pg. 631 sqq.

eum de rebus suis referrent, erat in magno nomine et gloria.

Item: in Verr. l. IV 78; ad Att. IV 1, 6.

Diversi ordinis:

Haec conformatio praebet semper in protasi enuntiatum relativum et unum vel plura enuntiata inferioris ordinis:

de fin. I 64: *qui si omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi;* Br. 31: *Quod quoniam genus ab hoc, quod proposuimus, abhorret, philosophos aliud in tempus reiiciamus.*

Item: p. Sest. 52 (*quae cum*; in ap. et. acc. c. inf.); in Vat. 25 (*qui si*); p. Balb. 25 (*qui si*); 34 (*quod cum*); p. Scaur. 21 (pg. 959 v. 14 sq.) (*quae si*); ad fam. II 18, 3 (*qui si*); VI 18, 4 (*qui si*); X 33, 4 (*quae si*); XII 5, 2 (*qui si*); acad. post. I 6 (*quae cum*); de nat. deor. I 17 (*quae cum*); II 36 (*quae quoniam*; in ap. necese est cum acc. c. inf.); de div. I 36 (*qui cum*; in ap. et. acc. c. inf.); 119 (*qui cum*); Cato m. 82 (*quod quidem ni*); de leg. I 19 (*quod si*):

Apodosis facit interrogationem rectam:

p. Cluent. 171: *Quae si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem mors eripuit praeter sensum doloris?*

Item: de div. II 33 (*quae ut*).

Et eiusdem et inferioris ordinis:

Tusc. disp. III 16: *Quae nisi tanta esset et si iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur, nunquam esset L. Pisonis cognomen tanto opere laudatum.*

Item: ad fam. XV 2, 1 (*quae cum*); p. Balb. 7 (*qui si*);

Forma a: (b:A):

Phil. II 38: *Quae sententia si valuisset ac non ei maxime mihi, quorum ego vitae consulebam, spe victoriae elati obstitissent, ut alia omittam, tu certe nunquam in hoc ordine vel potius nunquam in hac urbe mansisses.*

Item. p. Sest. 69 (*Quae cum res*).

Pro enuntiato relativo ablativus absolutus:

Phil. V 23: *Quo ille nuntio audito cum senatum vocasset adhibuissetque consularem, qui sua sententia C. Caesarem hostem iudicaret, repente concidit.*

Item: part. or. 74; or. c. s. gr. eg. 32; Phil. II 107.

c. Protasis ex uno, apodosis ex pluribus enuntiatis constat.

Enuntiata quae faciunt apodosin sunt:

Eiusdem ordinis:

de or. I 98: *Quod quidem si erit a vobis impetratum, magnam habebo, Crasse, huic palaestrae et Tusculano tuo gratiam et longe Academiae illi ac Lycio tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam;* de off. III 53: *Quod si ita est, ne vendendum quidem quicquam est, sed donandum;* de off. I 131: *quae cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur.*

Item: Br. 141: (*quae si*); in Verr. l. II 124 (*quae cum ita se res*); p. Rosc. A. 137 (*quae ut*); p. Cluent. 116 (*quod cum*); 189 (*quod cum*); de imp. Cn. Pomp. 69 (*quae cum*); in Cat. I 10 (*quae cum*); de dom. 11 (*qui si*); 64 (*quod si*); in Pis. 94 (*quod cum*); 97 (*qui si*); p. Ligar. 5 (*quod si*); Phil. II 24 (*quae si*); XII 3 (*quod si*); p. Scaur. 41 (pg. 962 v. 17 sq.; *quae si*); ad fam. IX 14, 7 (*quod cum*); X 14, 2 (*quod si*); ad Att. VIII 11 D. 2 (*quod si*); XII 13, 2 (*quod si*); de fin. III 66 (*quod ni*); Tusc. disp. I 71 (*quod cum*); de nat. deor. I 77 (*quod ni*); 122 (*quod ni*); II 37 (*quod quoniam*).

Pro enuntiato relativo, quod protasin facit, ponitur ablativus absolutus:

in Pis. 55: *quibus illi acceptis sagula reiecerunt, catervam imperatori suo novam praebuerunt.*

Item: de or. II 132; p. Rosc. A. 136; de dom. 113; Phil. I 3; ad Att. VII 13b, 5; Tusc. disp. I 96; de nat. deor. I 3; II 163; de off. III 38; de leg. I 59.

Diversi ordinis:

Multo saepius occurrunt loci, quorum apodosis enuntiatum primarium et unum aut plura enuntiata inferioris ordinis complectitur:

Phil. IX 12: *qui quamquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, ut si ille adesset;* in Verr. l. II 13: *Quae cum omnia facta sint, tamen unam solam scitote esse civitatem Mamertinam, quae publice legatos, qui istum laudarent, miserit;* de div. I 26: *Qui cum ex itinere quodam proposito et constituto revertisset aquilae admonitus volatu, conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perexisset, proxima nocte corruit.*

Item: de inv. I 15 (*quod ut*); 30 (*quod cum*); de or. I 18 (*quae nisi*); 208 (*quae si*); 210 (*qui cum*); II 262 (*qui cum*); 335 (*quae quia*); or. 93 (*quod quamquam*); part. or. 115 (*quae si*); p. Quinct. 4 (*quae quo*); in Verr. l. II 55 (*quod ubi*); l. IV 79 (*quod cum*); p. Cluent. 155 (*quae si*); in Cat. III 15 (*quae supplicatio si*); or. c. s. gr. e. 34 (*quae si*); p. Sest. 87 (*qui si*); de prov. cons. 57 (*quae cum*); p. Planc. 93 (*qui quoniam*); p. Marcell. 27 (*quod cum*); Phil. II 5 (*quod si*); 8 (*qui cum*); V 53 (*quae si*); XI 22 (*quod quoniam*); ad fam. II 19, 2 (*quae cum*); III 3, 2 (*qui cum*); XV 4, 3 (*quod cum*); 15, 2 (*quae si*); ad Att. X 8, 5 (*quae si*); XIV 18, 1 (*quae si*); XVI 3, 5 (*quae quamquam*); 16 A., 5 (*quae cum*); 16 A., 7 (*quod si*); 16 E., 16 (*quod si*); — de fin. I 21 *quae etsi*); 71 (*qui quod*); Tusc. disp. I 40 (*quae cum*); de nat. deor. III 25 (*qui si*); 47 (*quod si*); 49 (*quod si*); de div. I 57 (*qui ut*); II 3 (*quae ut*); 7 (*quod cum*); de fat. 40 (*quod cum*); de off. III 58 (*quod cum*); de leg. III 12 (*quae res cum*).

Saepe invenitur haec forma, etiam cum in protasi quae cum ita sint aut aliqua ei similis locutio occurrit:

Phil. VI 7: *Quae cum ita sint, non omnino dissolutum est, quod decrevit senatus.*

Item: de inv. I 63 (*quod si ita est*); 66 (*quod si ita est*); Or. 146 (*quod cum ita sit*); p. Rosc. A. 120 (*quae cum ita sint*); p. Rosc. c. 25 (*quae cum ita sint*); p. Cluent. 94 (*quae cum ita essent*); in Cat. II 26 (*quae cum ita sint*); IV 23 (*quae cum ita sint*); p. Mur. 5 (*quod si ita est*); de dom. 142 (*quae cum ita sint*); p. reg. Deiot 11 (*quae cum ita essent*); Phil. X 25 (*quae cum ita sint*); XI 40 (*quae cum ita sint*); ad fam. III 1, 1 (*quod cum ita sit*); IV 6, 3 (*quod cum ita sit*); IX 12, 1 (*quod quidem si ita est*); XII 10, 2 (*quod cum ita esset*); XIII 76 (*quod nisi ita esset*); ad Att. VII 2, 2 (*quod si ita est*); VIII 11 D., 5 (*quod cum ita sit*); de fin. I 42 (*quod cum ita sit*); III 12 (*quod si ita est*); 11 (*quod si ita est*); 29 (*quae cum ita sint*); Tusc. disp. V 45 (*quod si ita*

est); de nat. deor. I 45 (*quod si ita est*); II 76 (*quod si aliter est*); III 44 (*quod si ita est*); de fat. 40 (*quod si ita est*); de fat. 21 (*quod si ita est*); Lael. 29 (*quod si ita esset*); de leg. III 5 (*quae cum ita sint*).

In apodosi ponitur interrogatio obliqua aut enuntiatum substantivum et verbum vel locutio, a qua illud pendet:

ad Att. V 21, 13: *quae si Bruto non probatur, nescio cur illum amemus;* de fat. 41: *quae si ipsae non sint in nostra potestate, non sequitur ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate*; in Verr. A. I 23: *quae cum ita essent, sane benevolo animo me ut magnopere caverem praemonebat.*

Item: part. or. 103 (*quae nisi*); p. Rosc. c. 12 (*quae cum*); 17 (*quae cum*); in Verr. l. V 12 (*quae cum*); p. Caecin. 5 (*quae cum*); p. Cluent. 123 (*quae cum*); p. Arch. p. 13 (*quae si*); 31 (*quae cum*); p. Flacc. 51 (*qui quoniam*); in Vat. 29 (*quae cum*), p. Balb. 63 (*quae quidem si*); p. Planc. 72 (*quae si*); ad fam. IV 7, 4 (*qui si*); XIII 9, 3 (*quae cum*); XV 6, 2 (*quod si*); ad Br. I 1, 1 (*quod cum*); 14, 2 (*qui si*); ad Att. VIII 11 D., 8 (*quae quoniam*); X 4, 6 (*quae si*); 7, 1 (*qui nisi*); 8, 8 (*quae cum*); Tusc. disp. II 57 (*qui quidem si*); V 45 (*quod si*); de nat. deor. II 32 (*quod si*); III 48 (*qui si*); Cato m. 31 (*quod si*); de off. III 45 (*qui cum*).

Apodosis facit exclamationem:

ad fam. XII 3, 1: *quod quoniam praeteriit, utinam haberem quid vobis darem consilii!*

aut interrogationem rectam:

de dom. 80: *Quod si non fuit, quid te audacius, qui eius nomen incideris?* de fat. 26: *Quod cum ita sit, quid est cur non omnis pronuntiatio* et q. s.

Item: p. Rosc. c. 56 (*quod si*); in Cat. I 20 (*quae cum*); p. Arch. p. 10 (*quae cum*); Tusc. disp. V 18 (*quod ni*); 32 (*quod si*); de nat. deor. II 4 (*quod ni*).

Inter protasin et apodosin parenthesis quaedam ponitur:

Tusc. disp. II 47: *Quod si tibi persuasum est — principio enim dixisti plus in dedecore mali tibi videri quam in dolore — reliquum est ut tute tibi imperes.*

Item: de or. I 233 (*qui quidem si*); in Pis. 94 (*quae cum*) ad Att. VIII 3, 2 (*qui etsi*); ad Br. I 13, 1 (*qui si*); acad. pr. II 66 (*quod quoniam*); de fin. V 27 (*quod quamquam*); Parad. st. prooem. 4 (*quae quia*).

In protasi post pronomen relativum sequitur alterum relativum:

de or. I 132: *quae quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis, quae habent modice et scienter utantur et ut ne dedeceat.*

Pro enuntiato relativo, quod protasin facit, ablativus absolutus:

de nat. deor. II 153: *quibus rebus expositis satis docuisse videor hominis natura quanto omnes anteiret animantes.* Tusc. disp. V 71: *Quibus et talibus rebus exquisitis hoc vel maxime efficitur, quod hac disputatione agimus, ut virtus ad beate vivendum sit se ipsa contenta.*

Item: de or. III 213; or 89; in Verr. l. III 163; p. Mur. 4; in Vat. 26: p. Ligar. 3; Phil. II 71; 91; 93; VIII 27; IX 3; ad fam. IX 14, 8 (idem locus legitur etiam in ep. ad Att. XIV 17 A., 8); X 31, 5; ad Att. III 10, 1 (cf. eiusdem ep. §. 3); XI 4, 2; ad Br. I 16, 4; de fin. II 23; 29; 64; IV 19; 32; V 37; 38; Tusc. disp. I 33; 96; IV 23; 53; 79; de nat. deor. I 98; de div. I 2; II 3; 19; 104; de re p. I 33; 52; de fat. 3; Lael. 1; de off. I 19; III 114; de re p. II 15; VI 22; de leg. I 20; II 36.

Pro participio nomen verbale:

de dom. 66: *quo adiutore in contionibus ea quae gerebat omnia . . . se et fecisse et facere dicebat.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

Potest etiam fieri, quamquam rarius, ut in apodosi plura occurrant enuntiata partim eiusdem ordinis, atque enuntiatum primarium, partim inferioris ordinis:

ad fam. VI 20, 3: *qui etsi est gravissimus, tamen ita viximus et id aetatis iam sumus, ut omnia, quae non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus;* ibid. X 33, 5: *Quae si vera sunt, nemini nostrum cessandum est nec exspectandum quid decernat senatus.*

Item: de inv. I 30 (*quod cum*); ad fam. XIV 22 (*qui si*); ad Att. I 17, 2 (*quod cum*); XVI 16 A., 5 (*quod cum*); ad Q. fr. II 6, 5 (*quae simulatque*); Tusc. disp. I 89 (*quae si*); de nat. deor. II 128 (*quod cum*).

Paulo saepius hoc occurrit cum in protasi quae cum ita sint vel ei similis locutio usurpatur:

de div. I 125: *Quod cum ita sit, nihil est factum quod non futurum fuerit eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat.*

Item: de or. III 74 (*quae cum ita sint*); in Verr. A. I 8 (*quae cum ita sint*); p. Mur. 30 (*quod si ita est*); 86 (*quae cum ita sint*); p. C. Rabir. 5 (*quae cum ita sint*); p. Planc. 82 (*quae cum ita sint*); Phil. XIII 50 (*quae cum ita sint*); ad Att. VIII 11 D., 3 (*quod cum ita esset*); de pet. cons. 21 (*quod cum ita sit*); Tusc. disp. I 117 (*quae cum ita sint*); de div. I 125 (*quod cum ita sit*); de re p. I 69 (*quod ita cum sit*).

Pro enuntiato relativo ablativus absolutus:

de div. II 135: *qua inventa et Plotemaeus sanatus dicitur et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati.*

Item: de inv. I 106; de or. II 174; p. Caecin. 5; ad fam. VIII 6, 1 (Caelius scribit); de fin. III 20; Tusc. disp. V 50.

d. Et protasis et apodosis ex pluribus enuntiatis constant.

Haec constructio etsi non frequenter occurrit, praebet tamen maxime varias conformationes.

Protasis comprehendit enuntiata eiusdem ordinis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

ad fam. VII 11, 2: *Quod si aut fit aut futurum putas, perfer istam militiam et permane.*

Item: p. Mur. 90 (*que si*); p. Sest. 35 (*quae cum*).

Forma a : (b : A), in qua etiam parenthesis inter *a* et *b* occurit:

Or. 173: *Quod si ita est — nec vero aliter existimo — quia ipsi suis sensibus non moventur, nihilne eis inane videtur? nihil inconditum, nihil curtum . . . nihil redundans?*

Diversi ordinis:

Phil. I 12: *Qui cum mihi mos notus esset cumque e via languerem et mihimet displicerem, misi pro amicitia qui hoc ei diceret;* de or. I 259: *Quae si omnia summa non sunt et pleraque tamen magna sunt, necesse est ea ipsa, quae sunt, mirabilia videri.*

Item: Br. 241 (*quod quia*); in Verr. A. I 25 (*quod cum*); p. Caecin. 73 (*quod si*); p. Mur. 2 (*quae cum*); p. Cael. 32 (*quae si*); ad fam. XIII 1, 4 (*quod si*); ad Att. VII 3, 3 (*quae si*); IX 11 A., 2 (*quod si*); XIII 15 (*qui si*); Tusc. disp. III 37 (*quae si*); de nat. deor. I 44 (*quod quoniam*); II 42 (*qui quoniam*); de div. I 55 (*qui antequam*).

Forma a : (b : A):

Phil. X 1: *Qui cum hodierno die senatum te habiturum non arbitraremur, ut M. Bruti, praestantissimi civis, litteras accepisti, ne minimam quidem moram interposuisti quin quam primum maximo gaudio et gratulatione frueremur.*

Item: de or. II 335 (*quae quia*); Tusc. disp. V 82 (*qui cum*); Lael. 84 (*quod cum*).

Apodosis facit interrogationem rectam:

Phil. V 29: *Qui si legatis paruerit Romamque redierit, num umquam perditis civibus vexillum quo concurrant defuturum putatis?*

Item: p. Mil. 99 (*quae si vos cepit oblivio*).

In oratione obliqua:

acad. pr. II 123: *quae cum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quae, si stante terra coelum moveretur.*

Pro enuntiatis eiusdem ordinis, quae protasin faciunt ponuntur ablativi absoluti:

p. Sest. 69: *quo patefacto ferroque deprehenso ille*

inclusus domi tam diu fuit, quam diu inimicus meus in tribunatu.

Item: or. c. sen. gr. eg. 11; de fin. III 29; de nat. deor. I 119;

Protasis continet enuntiata diversi ordinis.

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

ad Att. XI 2, 3: *Quod si mihi commune cum ceteris esset, qui videntur in eadem causa esse, minor mea culpa videretur et eo tolerabilior esset;*

Item: or. 177 (*quod cum*); p. Balb. 37 (*quod si*); de re p. VI 20 (*quae si*).

Apodosis interrogationem facit:

de fin. III 76: *Quid si ita est, ut neque quisquam nisi bonus vir et omnes boni beati sint, quid philosophia magis colendum aut quid est virtute divinius?*

Diversi ordinis:

p. Flacc. 60: *Quae quidem a me si, ut dicenda sunt, dicerentur, gravius agerem, iudices, quam adhuc egi, quantam Asiaticis testibus fidem habere vos conveniret;*

Item: part. cr. 109 (*quod quamquam*); de prov. cons. 35 (*qui si*); ad Q. fr. II 15b, 4 (*quae quidem comitia*); eadem sententia, eadem forma atque etiam fere omnino eisdem verbis expressa, legitur in ep. ad Att. IV 15, 8 (*quae si*); de pet. consul. 58 (*quae tametsi*); Cato m. 3 (*quae si*); de leg. III 46 (*quae quoniam*);

Apodosis facit interrogationem:

de leg I 44: *Quae si tanta potestas est stultorum sententiis atque iussis, ut eorum suffragiis natura vertatur, cur non sanciunt ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis et salutaribus?*

Item: Phil. XIV 32 (*quae si*);

Ablativus absolutus pro enuntiato relativo:

p. Cluent. 34: *Quo illa pretio accepto multisque praeterea muneribus, quae tum ex tabulis Oppianici recitabantur, spem illam, quam in alvo commendatam a viro continebat, victa avaritia sceleri Oppianici vendidit.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

de inv. II 4: *Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cuius omnes partes . . . exprimendae viderentur, sed, omnibus . . . coactis scriptoribus, quod quisque . . . praecipere videbatur excerpsimus et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus.*

Item: ad fam. X 4, 4 (*quod si*; Plancus scribit); ad Att. VIII 12 C., 1 (*quae si copiae*; Pompeius scribit.).

Protasis constat ex enuntiatis et eiusdem et diversi ordinis:

Apodosis ex enuntiatis:

Diversi ordinis:

in Cat. III 11: *Qui cum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum quotiensque venissent, quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus, tum ille subito scelere demens, quanta conscientiae vis esset, ostendit.*

Item: p. Caecin. 33 (*quod cum*); in Pis. 85 (*qui cum*); ad Att. VIII 15 A., 2 (*qui si*: Balbus scribit.)

Forma a:(b:A);

de re p. III 41: *Quae si consuetudo ac licentia manare coeperit latius imperiumque nostrum ad vim a iure traduxerit, ut, qui adhuc voluntate nobis oboediunt, terrore teneantur, etsi nobis, qui id aetatis sumus, evigilatum ferest, tamen de posteris nostris et de illa immortalitate rei publicae sollicitor, quae poterat esse perpetua, si patris viveretur institutis et moribus.*

Item: ad fam. XIII 50, 2 (*quae cum*); XV 4, 10 (*quod cum*);

Pro enuntiato relativo ablativus absolutus:

ad fam. XV 1, 2: *Quo nuntio allato, cum essent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, statui exspectandum esse, si quid certius afferretur.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

p. Rosc. A. 61: *Quae quoniam te fefellerunt, Eruci,*

quoniamque vides versa esse omnia . . . quem dedi putabas, defendi intellegis, quos tradituros sperabas, vides iudicare, restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam aut confitere huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium futurum.

Forma a : (b : A):

ad Att. IX 11, 1: *quod cum e viatore quodam esset auditum, qui se diceret eum* (sc. Lentulum) *in Appia, cum is paullum lecticam aperuisset, cognosse, etsi vix verisimile, misi tamen Puteolos pueros, qui pervestigarent, et ad eum litteras.*

Enuntiatum relativum est enuntiatum substantivum aut interrogatio obliqua.

Eandem structuram III praebent loci comprehensiones exhibentes, quae ex verbo aut simili quadam locutione constant et ex enuntiato substantivo vel interrogatione obliqua, velut:

Lael. 99: *Quod ut ne accidat magis cavendum est;* de nat. deor. II 52: *Quae quam longa sit magna quaestio est.*

Huiusmodi enuntiata, cum fere semper subiectum aut obiectum enuntiati primarii exprimant, arctissime cum eo enuntiato coniunguntur; qua re ex hac orationis conformatione perraro exsistunt amplae comprehensiones, quales saepe in reliquis exemplis supra allatis occurrere vidimus; disponemus igitur huius generis exempla non secundum naturam protasis et apodosis, ut hucusque fecimus, sed considerabimus utrum enuntiatum relativum subiectum an obiectum sit enuntiati primarii.

Quae ratio inter has comprehensiones intercedat et eas quae structuram I praebent exposuimus iam in primi capitis pg. 42 sqq.

Enuntiatum relativum est:

1. Enuntiatum substantivum, quod:

Subiectum enuntiati primarii facit:

de off. I 45: *quae ut concurrant omnia optabile est;* ad. fam. I 9, 45: *Qui me homines quod salvum esse voluerunt est mihi gratissimum.*

Item: de inv. II 164 (*quod ut*); or. 190 (*quod ne*); ad. Att. XI 24, 1 (*quae tu ne*); Lael. 99 (*quod ut*); de re p. I 53 (*qui sint in omni populo necesse est*).

Obiectum enuntiati primarii facit:

ad. fam. I 3, 2: *Quae ne spes eum fallat vehementer rogo te* et q. s.

Item: in Verr. l. II 169 (*quae gratia ne*); ad fam. XIII 14, 2 (*quod ut*).

Enuntiata implicant partes suas[1]):

Phil. II 55: *quae senatus salva re publica ne fieri possent perfecerat;* de div. II 114: *quae omnes eo tempore ne acciderent timebamus.*

Enuntiatum primarium interponitur:

ad fam. IX 8, 1: *qui metuo ne te forte flagitent;* de div. II 136: *quae, per deos immortales, videamus ne nostra superstitione et depravatione superetur;* p. Rosc. A. 90: *qui omnes, quod ad me attinet, vellem viverent.*

1. Interrogatio obliqua, quae:

Subiectum enuntiati primarii facit:

de inv. I 31: *quae quemadmodum inveniretur ante dictum est;* de nat. deor. I 34: *qui quo sensu beati esse possent intellegi non potest.*

Item: Or. 82 (*quod quale*); 134 (*qui qualis*); p. Rosc. c. 20 (*qui quamobrem*); p. Tull. 56 (*qui cur*); ad. fam. XI 8, 1 (*qui quid*); de nat. deor. II 52 (*quae quam*); 62 (*quod quale*); Lael. 27 (*quod quale*).

Enuntiata implicantur:

acad. pr. II 124: *quod intellegi quale sit vix potest.*

Enuntiatum primarium collocatur inter partes enuntiati relativi:

---

[1]) De hac re cf. Naegelsb. op. all. pg. 630 sq.

ad Att. VII 20, 2: *qui quidem incertum est Phalarimne an Pisistratum sit imitaturus.*

Interdum fieri potest ut comprehensio quaedam velut: quod in quo sit magna dissensio est vel potius eius enuntiatum primarium subiungatur; tunc oritur forma:

de fin. V 16: *Quod quoniam in quo sit magna dissensio est, Carneadia nobis adhibenda est divisio, qua noster Antiochus libenter uti solet.*

Perraro exsistit ex hac conformatione amplior comprehensio:

de fin. II 45: *Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus intellegi potest, quamquam aliquantum potest, quam communi omnium iudicio et optimi cuiusque studiis atque factis, qui permulta ob eam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum vident.*

Obiectum enuntiati primarii facit.

in Verr. A. I 26: *qui quam isti sit amicus attendite;*

in Caecil. 22: *quae cuiusmodi in utroque nostrum sint paulo post commemorabo.*

Item: de or. I 18 (*quae quanta*); III 33 (*quod quale*); in Caecil. 23 (*quae cuiusmodi*); 48 (*qui quid*); in Verr. A. I 26 (*qui quam*); l. I 104 (*qui principio qualis*); l. II 36 (*qui quantum*); de imp. Cn. Pomp. 36 (*quae breviter qualia*); in Verr. l. I 32 (*quae qualis*); p. Cluent. 47 (*qui qua*); 146 (*quod cuiusmodi*); 157 (*quod quam*); p. Sest. 62 (*quae quanta*); p. Planc. 66 (*quae quanta*); 23 (*qui ordo quanto adiumento*); in Cat. I 16 (*quae quidem quibus . . . sacris*); in Pis. 36 (*quae lex quemadmodum*); 53 (*qui primum qua*); p. Mil. 69 (*qui quam*); p. Flacc. 77 (*quae quidem quam*); ad Q. fr. I 2, 2 (*qui quidem quam*); ad fam. I 8, 1 (*quae quales*); II 8, 3 (*quod quando*); XI 10, 1 (*quae quanto*); XIII 6, 3 (*quae quantum*); ad Att. III 15, 3 (*quae unde*); VI 1, 3 (*quae quemadmodum*); VII 22, 2 (*qui ubi*); ad Br. I 16, 8 (*qui quid*; Brutus scribit); de fin. I 65 (*quod quam*); de nat. deor. I 116 (*qui quamobrem*); II 62 (*quod quale*); 97 (*quae quanto*); III 15 (*quae unde*); 27 (*quod quidem quale*); 34 (*quod quale*); de re p. II 16 (*quod quantae . . . utilitati*); VI 21 (*qui quam*).

Enuntiata implicantur:

de re p. I 15: *quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari.*

Tota comprehensio bis subiungitur: primum subiungitur pronomine relativo eis, quae praecedunt, deinde particula subiunctiva eis, quae sequuntur:

de har. resp. 52: *Quod ego quamquam quid sit nescio, tamen hoc statuo, hunc, si amicus esset Pompei, laudaturum illum non fuisse.*

In eadem conformatione particula subiunctiva poni potest initio enuntiati a quo pendet enuntiatum relativum:

ad Att. XV 26, 2: *quod quale tibi videretur ut posses interpretari, misi ad te exemplum epistulae.*

Notabilis exsistit constructio cum quodam modo forma a:(b : A) occurrit:

p. Quinct. 4: *quae quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intellegi non potest.*

Quae forma etiam hoc modo conformari potest:

de fin. II 117: *quae, nisi honestas natura plurimum valeat, cur non cadant in sapientem non est difficile defendere.* — part. orat. 42: *Nempe igitur ea restant, quae, cum et factum constat et nomen, qualia sint vocatur in dubium.*

Vel etiam:

de or. II 239: *Quae cuiusmodi sint facilius iam intellegemus, cum ad ipsa ridiculorum genera venerimus.* —

Cum enuntiatum relativum est interrogatio obliqua possunt etiam amplae comprehensiones conformari:

in Verr. l. II 58: *Qui quamdiu tibi amicus non modo tum fuerit, quam diu tecum in provincia fuerit, verum etiam nunc sit, cum iam a ceteris amicis relictus es, et tu intellegis et nos existimare possumus.*

Item: de or. I 246 (*quae quam*); in Verr. l. I 32 (*quae qualis*): l. II 58 (*qui quam*): ad fam. V 2, 1 (*quod cum*).

Genetivus.

a. Et protasis et apodosis ex uno enuntiato constant:

de imp. Cn. Pomp. 23: *cuius in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatae sunt;* — Phil. II 24: *quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus;*

Item: de inv. II 8 (*quarum altera cum*): de or. I 234 (*cuius artem cum*): Br. 168 (*cuius praefectus cum*); p. Cluent. 188 (*quarum illa cum*): p. Mur. 66 (*de cuius virtute cum*); in Pis. 16 (*quorum ego furori nisi*): p. Mil. 79 (*cuius vitam si*); p. Sull. 12 (*cuius cum*); Phil. VII 1 (*quarum rerum etsi*): XIV 26 (*cuius si*); ad Br. II 7, 5 (*quorum si*): de fin. II 70 (*quarum — cum*); III 62 (*quarum in fetu — cum*); Tusc. disp. V 78 (*quorum etiam si*); de nat. deor. I 9 (*cuius si*); II 85 (*quorum utrumvis ut*); Lael. 104 (*quarum rerum — si*); de leg. III 19 (*cuius si*). —

In protasi post pronomen relativum alterum ponitur relativum:

de or. I 210: *quorum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem.* —

Item: de or. III 39 (*quorum — qui*); or. 101 (*cuius qui*); p. Font. 26 (*quorum qui*). —

Enuntiatum primarium facit interrogationem rectam:

de nat. deor. III 51: *cuius si divina natura est, quid facies nubibus?*

Item: in Cat. IV 17 (*quorum si*);

Enuntiatum primarium vel potius tota comprehensio in oratione obliqua:

de dom. 18: *quarum rerum si quem poeniteat, eum victoriae populi Romani poenitere.*

Parenthesis quaedam inter protasin et apodosin:

de re p. II 4: *Quorum copiis cum se ducem prae-*

buisset — ut iam a fabulis ad facta veniamus — oppressisse Longam Albam . . . Amuliumque regem interemisse fertur.

Pro enuntiato relativo participium coniunctum quod dicitur:

Br. 251: *quorum oblivionem quaerens hunc ipsum sermonem produxi longius.*

Item: part. or. 100; de fin. I 60; de nat. deor. II 45; de off. I 4.

Vel etiam ablativus absolutus ponitur;

de har. resp. 42: *qui . . primam illam aetatulam suam ad scurrarum . . libidines detulit, quorum intemperantia expleta in domesticis est germanitatis stupris volutatus;*

Item: de fin. II 47. —

b. Protasis ex pluribus, apodosis ex uno enuntiato constat:

Enuntiata quae protasin faciunt sunt:

Eiusdem ordinis:

ad fam. VII 30, 2: *cuius quoniam proprium te esse scribis mancipio et nexu, meum autem usu et fructu, contentus isto sum.*

Diversi ordinis:

ad Att. XI 15, 2: *cuius peccati si socios essem habiturus ego, quos putavi, tamen esset consolatio tenuis.*

Item: de or. I 123; (*cuius quidem rei cum*).

Et eiusdem et diversi ordinis:

Timae. 4: *Quorum ne quid accideret atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus hoc ipso, quod solus atque unus esset, idcirco singularem deus hunc mundum atque unigenam procreavit.*

c. Protasis ex uno, apodosis ex pluribus enuntiatis constat:

Eiusdem ordinis:

de off. III 100. *Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Karthaginem rediit, neque eum caritas patriae retinuit nec suorum.*

Item: de or. III 55 (*quarum — si*); p. Sest. 37 (*cuius causam etsi*); ad fam. XIII 29, 7 (*cuius similes si*).

Apodosis facit interrogationem rectam:

de nat. deor. I 3: *Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas, quae sanctitas, quae religio?*

Diversi ordinis:

Multo saepius occurrit haec conformatio:

de fin. IV 57: *Quorum si neutrum est, opera danda est ut verbis utamur quam usitatissimis et* et q. s.

Item: de or. III 143 (*quorum si alterum*); de har. resp. 2 (*cuius si*); p. Cael. 14 (*cuius si*); ad fam. I 9, 9 (*cuius — ut*); VI 1, 6 (*cuius si*); ad Att. I 16, 5 (*quorum — cum*); VII 2, 3 (*cuius quoniam*); VIII 4, 1 (*cuius ego cum*); XI 7, 5 (*quorum etsi*); Tusc. disp. II 58 (*cuius si*); V 5 (*cuius — cum*); de nat. deor. I 94 (*quorum si*).

In enuntiato relativo post pronomen relativum alterum relativum:

de off. II 5: *cuius studium qui vituperat, haud sane intellego quidnam sit quod laudandum putet.*

In oratione obliqua:

de leg. III 30: *quorum cum essent magnificae villae, concedi sibi oportere, quod iis, qui inferioris ordinis essent, liceret.*

Item de dom. 68 (*quorum utrumque cum*): Tusc. disp. III. 69 (*quorum si*).

Pro enuntiato relativo participium coniunctum:

de leg. I 47: *cuius blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernunt satis.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

de nat. deor. I 5: *quorum opiniones cum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum fieri potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit.*

d. Et protasis et apodosis ex pluribus enuntiatis constat:

In protasi enuntiata eiusdem in apodosi diversi ordinis occurrunt.

Forma a : (b : A):

p. Tull. 45: *quorum si unum quodlibet probare iudici potuerit, etiam si confessus erit se vi deiecisse, vincat necesse est.*

Item: de fin. II 97 (*quorum alter cum*); Tusc. disp. I 110 (*quorum* — *qui*; post relat. alterum relativum).

Pro enuntiatis quae protasin faciunt, participia coniuncta:

p. Planc. 97: *Quius ego . . . manibus in navi tuta ac fideli collocatus eorumque preces . . . exaudiens, Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi.*

Et in protasi et in apodosi enuntiata diversi ordinis:

Phil. IX 7: *Cuius cum adventu maxime perturbatus esset Antonius, quod ea, quae sibi iussu vestro denuntiarentur, auctoritate erant et sententia Servii Sulpicii constituta, declaravit quam odisset senatum, cum auctorem senatus exstinctum laete atque insolenter tulit.*

Item: de opt. gen. or. 23 (*quorum ego orationes si*); Phil. VII 15 (*cuius ut*).

Protasis et eiusdem et inferioris ordinis enuntiata complectitur:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

Tusc. disp. V 63: *quorum cum alterum vadem mortis accepisset, alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset*

ad horam mortis destinatam, „Utinam ego", inquit, „tertius vobis amicus adscriberer!"

Diversi ordinis:

de or. I 175: *de cuius morte cum domum falsus ab exercitu nuntius venisset et pater eius, re credita, testamentum mutasset et, quem ei visum esset, fecisset heredem essetque ipse mortuus, res delata est ad centum viros, cum miles domum revenisset* et q. s.

Et eiusdem et diversi ordinis:

ad fam. I 9, 20: *Quorum iniqui sermones cum ad me per homines honestissimos perferrentur cumque Pompeius ita contendisset, ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam, Caesarque per litteras maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet, habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturae, Crassusque, ut quasi testata populo Romano esset nostra gratia, paene a meis laribus in provinciam est profectus.*

Enuntiatum relativum est enuntiatum substantivum aut interrogatio obliqua.

Enuntiatum substantivum facit obiectum enuntiati primarii:

ad Q. fr. I 2, 6: *Cuius tu in patrem quod fuisti asperior non reprehendo.*

Interrogatio obliqua:

1. Facit obiectum enuntiati primarii:

p. Sest. 111: *quorum ille utri sit inimicior nescio;* ad Att. VI 4, 2: *cuius de conditione quid mihi placeret scripsi ad Terentiam, cum tu in Graecia esses.*

Item: de inv. II 7 (*cuius ipsius quam*); Br. 137 (*quorum quidem quae*); Phil. VII 1 (*quorum . . quid*); acad. pr. II 3 (*cuius . . quid*); de fin. II 72 (*cuius quantum*); V 60 (*quorum quae*); Tusc. disp. I 59 (*quorum quanta*); de off. II 74 (*quorum qualis*); ad Att. VII 13 A., 1 (*quorum quam*); X 4, 1 (*quorum . . quo*).

Enuntiatum primarium inter partes enuntiati relativi ponitur:

acad. pr. II 63: *quorum vides quanta copia semper futura sit.*

Forma a (b : A):

p. Cluent. 115: *Cuius rei quae consuetudo sit, quoniam apud homines peritissimos dico, pluribus verbis docere non debeo;* acad. post. I 33: *cuius quas acceperim immutationes, si vultis, exponam.*

2. Facit subiectum enuntiati primarii:

de fin. III 18: *quorum utilitas quanta sit a medicis etiam disputatur.*

Item: de inv. II 167 (*quorum quid*); de or. II 5 (*quorum quale*); ep. ad Br. I 12, 1 (*cuius exitus qui*).

Enuntiatum primarium interponitur:

de leg. II 38: *quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem.*

Item: de fin. V 8 (*cuius oratio . . satisne*).

Dativus.

Et pauci sunt loci, quorum relativum in casu dativo ponitur nec maxime varias praebent formas. — Plurimi occurrunt cum:

a. Et protasis et apodosis ex uno enuntiato constant:

de off. III 110: *cui nisi ipsi auctor fuisset, captivi profecto Poenis redditi essent;* Phil. VII 14: *cui cum pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis devoluti.*

Item: de or. II 313 (*cui si*); p. Sull. 81 (*cui cum*); de prov. c. 41 (*quibus ego si*); ad fam. V 7, 2 (*quibus si*); VI 12, 5 (*quibus ego si*); XI 27, 8 (*quibus nisi*); ad Q. fr. I 1, 32 (*quibus si*); ad Att. V 20, 8 (*quibus ille si*); VIII 12, 5 (*quibus si*); XIV 20, 3 (*cui si*); ad Br. I 15, 9 (*cui cum*); de fin. I 22 (*quibus si*); de nat. deor. III 38 (*cui si*); de fato 28 (*cui si*); de leg. III 25 (*cui nisi*).

In enuntiato secundario post pronomen relativum ponitur alterum relativum:

Cat. m 2: *cui qui pareat omne tempus aetatis sine molestia possit degere.*

Apodosis facit interrogationem rectam:

Phil. I 23: *quibus cum provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur?*

Item: Tusc. disp. I 97 (*qui si*).

b. Protasis ex pluribus, apodosis ex uno enuntiato constat:

Enuntiata quae protasin faciunt sunt:

Eiusdem ordinis:

p. Planc. 27: *cui cum fuerit probatissimus hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare.*

Pro enuntiatis, quae protasin faciunt, participia coniuncta:

de fin. V 66: *quibus rebus vita consentiens virtutibusque respondens recta et honesta et constans et naturae congruens existimari potest.*

Diversi ordinis:

in Pis. 93: *Quibus cum iuratus affirmasset se quae deberentur postero die persoluturum, domum se abdidit;*

Item: de div. II 3 (*quibus si*);

c. Protasis ex uno, apodosis ex pluribus enuntiatis constat:

Enuntiata quae apodosin faciunt sunt:

Eiusdem ordinis:

in Cat. III 22: *Quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam et non sim ferendus*;

Item: de dom. 23 (*cui quidem cum*);

Post relativum alterum relativum:

Phil. VIII 23: *cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est potius repudiandus.*

Diversi ordinis:

Phil. II 3: *Cui priusquam de ceteris rebus respondeo, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen iudico, pauca dicam.*

Item: Br. 73 (*cui si*); or. 158 (*quibus cum*); in Verr. l. III 127 (*quibus si*); ad Att. I 4, 2 (*cui cum*); ad Br. I 5, 1 (*cui cum*); fragm. Xenoph. oecon. 15 (orell. ed. pg. 978.) (*quibus si*).

Parenthesis inter protasin et apodosin:

de off. III 23: *cui parere qui velit — omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere — nunquam committet ut alienum appetat et id, quod alteri detraxerit, sibi adsumat.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

ad Att. I 17, 1: *quibus ego mederi cum cuperem antea saepe et vehementius etiam pos sortitionem provinciae, nec tantum intellegebam ei esse offensionis, quantum litterae tuae declararant, nec tantum proficiebam, quantum volebam.*

Item: de re p. III 33 (*cui qui*); ad fam. VI 6, 5 (*quibus ille si*).

d. Et protasis et apodosis ex pluribus enuntiatis constant:

Protasis ex diversi ordinis enuntiatis; apodosis ex enuntiatis:

Eiusdem ordinis:

de or. II 196: *Quibus omnibus verbis, quae a me tunc sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis sed etiam irridenda fuisset oratio mea.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

ad fam. V 21, 2: *cui nisi invidisset is, quem tu nunquam amasti — me enim amabas — et ipse beatus esset et omnes boni.* —

Diversi ordinis:

Or. 140: *Quibus si nihil aliud responderem, nisi me M. Bruto negare roganti noluissem, iusta esset excusatio,*

cum et amicissimo et praestantissimo viro et recta et honesta petenti satisfacere voluissem.

Et eiusdem et diversi ordinis:

de or. I 57: *Quibus ego, ut de his rebus . . disserant, cum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi . . disputant, hic cum omni gravitate et iucunditate explicet.*

Enuntiatum relativum est enuntiatum substantivum aut interrogatio obliqua:

Enuntiatum substantivum est obiectum enuntiati primarii:

ad fam. XVI 22, 1: *cui quidem rei omni ratione cura ut inservias;*

Comprehensio relativa subiungitur particula subiunctiva eis quae sequuntur:

Phil. VIII 25: *Iis etiam praemia postulat, quibus ut ignoscatur si postulet, impudentissimus iudicetur.*

Interrogatio obliqua est:

Subiectum enuntiati primarii:

in Verr. I V 1: *cui quemadmodum resistam multo mihi ante est, iudices, providendum.*

Obiectum:

ad fam. XVI 8, 2: *cui tu quantum credas nescio;*

Enuntiatum primarium interponitur: Or. c. sen. gr. e. 21: *cui ego ipsi, parenti fratrique eius sentio quantum debeam;*

Forma a: (b:A): ad fam. XIV 23[1]): *cui utrum obviam procedam an hic eum exspectem, cum constituero, faciam te certiorem.*

---

[1]) de hac forma cf. Naegelsb. op. all. pg. 634.

Accusativus.

a. **Et protasis et apodosis ex uno enuntiato constant:**

p. Rabir. P 10: *quod cum fecissent, permulti saepe vicerunt;* Phil. XIII 45: *Quae si tecum ipse recolueris, aequiore animo et maiore consolatione moriere;* de fin. II 18: *quam si explicavisset, non tam haesitaret.*

Item: de inv. II 175 (*quod si*); de or. I 126 (*quae orator a natura nisi*); 145 (*quam ego si*); 167 (*quod cum*); II 96 (*quod si*); de or. II 233 (*quem cum*); III 143 (*quem si*); or. 183 (*quos cum*); p. Rosc. A. 116 (*quem etiam si*) in Caecil. 34 (*quae si*); in Verr. l. I 107 (*quod si*); 119 (*quem iste collegam nisi*); II 92 (*quem posteaquam*); III 46 (*quas litteras cum*); 215 (*quos tu cum*); V 21 (*quae si*); 101 (*quod posteaquam*); 112 (*quae cum*); 135 (*quae si*); p. Caecin. 98 (*quam multam si*); p. Cluent. 132 (*quod cum*); in Cat. III 16 (*quem quidem ego cum*); IV 8 (*quam si*); p. Sull. 73 (*quam si*); de dom. 117 (*quam si*); 128 (*quae si*); de har. resp. 2 (*quem cum*); in Pis. 61 (*quas rationes si*); p. Planc. 46 (*quos tu si*); p. Mil. 84 (*quem si*); p. reg. Deiot. 19 (*quod cum*); Phil. X 11 (*quam nisi*); XII 28 (*quam cum*); XIV 28 (*quod cum*); 30 (*quam 'quoniam*); ad fam. VI 6, 5 (*quod si*); VII 20, 1 (*quem si*); 30, 2 (*quae si*); X 17, 2 (*quod si*); XI 4, 2 (*quod cum*); XIII 19, 2 (*quae ne*); XV 4, 14 (*quod si*); 12, 2 (*quod si*); ad Att. II 24, 4 (*quod si*); III 13, 2 (*quem ego miser si*); VI 1, 16 (*quam ante si*); VII 9, 1 (*quas L. Quinctius, familiaris meus, cum*); 18, 1 (*quae quidem ille si*); IX 13, 3 (*quae si*); X 12, 2 (*quam si*); XII 26, 2 (*quod quia*); XIII 1, 2 (*quod si*); XV 11, 1 (*quam orationem cum*); acad. pr. II 13 (*quae cum*); 18 (*quam nisi*); 44 (*quod cum*); 62 (*quae cum*); 79) (*quod ne*); 99 (*quae nisi*); 104 (*quae cum*); 110 (*quam quoniam*); acad. post. fragm. 33 (*quae tu si*); de fin. II 2 (*quod cum*); 29 (*quae si*); 44 (*quos nisi*); III 6 (*quod si*); IV 1 (*quae cum*); 13 (*quod idem cum*); 78 (*quae rursus dum*); V 8 (*quod si*); Tusc. disp. I 15 (*ad quam cum*) III 2 (*quae si*); 21 (*quod si*); de nat. deor. I 68 *quod cum*); III 25 (*quod vos cum*); III 94 (*quae cum*); de div. I 96 (*quas cum*); 99 (*quod quidem somnium Sisenna cum*); II 52 (*quod ni*); 63 (*quos cum*); 84 (*quae si*); de off. III 6 (*ad quos cum*); 73 (*quod quo*); parad. st. III 20 (*quod cum*); VI 47 (*quam tu quoniam*);

de re p. I 25 (*quod cum*); 41 (*quam cum*); de leg. I 7 (*quem si*); 11 (*quod sustinere cum*); 32 (*quae si*); III 3 (*quod cum*); 30 (*quod si*).

In enuntiato relativo vel apodosi post pronomen relativum ponitur alterum relativum:

in Pis. 71: *quam qui profitetur, gravissimam mihi sustinere personam videtur.*

Item: in Verr. II 122 (*quem qui*); p. Mil. 39 (*quem qui*); Phil. I 35 (*quem qui*); ad fam. V 16, 4 (*quae qui*); de fin. I 26 (*quas qui*); V 50 (*quae qui*); de off. II 10 (*quod qui*); III 23 (*quam qui*); 28 (*quae qui*); 65 (*quae qui*).

Enuntiatum primarium vel apodosis facit interrogationem rectam:

Or. 136: *quas cum tu optime, Brute, teneas, quid attinet nominibus uti aut exemplis?*

Item: de nat. deor. III 47 (*quod si*); Cato m. 12 (*quam cum*).

Tota comprehensio tantum partem facit amplae interrogationis rectae:

de fin. V 76: *an eum discere ea mavis, quae cum plane perdidicerit, nihil sciat?*

Item: Phil. IV 5 (*contra quem qui*); ad fam. IV 5, 3 (*quos cum*); Tusc. disp. V 45 (*quae qui*).

Apodosis facit exclamationem:

ad fam. II 12, 2: *Quod cum probe scirem, utinam in sententiam permansissem!*

Item: ad Att. III 11, 2 (*quod cum*).

In oratione obliqua:

in Verr. l. IV 106: *quas sibi cum ipsa praeferret, orbem omnem peragrasse terrarum.*

Item: in Verr. l. IV 131 (*quem cum*); de nat. deor. II 126: (*quam cum*); libr. de suis consil. fragm. 2 (pg. 992 v. 25 sq.) (*quod cum*).

Notanda est conformatio, cum relativum ad ea quae sequuntur, spectat:

de or. I 128: *quae enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non potest.*

In continuatione orationis, quae a pronomine relativo incipit:

ad Att. VII 9, 3: *O rem miseram! si quidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest et quod ille si faciat, iamiam a bonis omnibus summam ineat gratiam.*

Etsi aliquid structurae III proprium est, ut enuntiatum primarium secundario enuntiato postponatur, tamen, cum illius verbum nullum casum regit, fieri potest, ut illud ipsum enuntiatum inter partes enuntiati secundarii collocetur:

p. Rabir. 24: *Hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum iis fuerit C. Rabirius, quos amentissimus fuisset si oppugnasset, turpissimus, si reliquisset?* in Vat. 16: *quem tu dirumperis cum aedilicium vides.*

Liceat nobis hic etiam locum afferre, qui in epist. ad fam. lib. VII 17, 1 legitur, quamquam eius apodosis ex pluribus enuntiatis constat; *quae ille amentissimus fuerit nisi acceperit, praesertim cum inpudentissime postulaverit.*

Inter protasin et apodosin parenthesis ponitur:

Phil. VII 14: *Quod si non possumus facere — dicam quod dignum est senatore et Romano homine — moriamur.*

Item: in Pis. 13 (*quam nos causam cum*); de off. I 18 (*quod vitium effugere qui*).

Parenthesis in apodosi ipsa:

ad Br. I 15, 6: *quem cum in me incitavissem, consilia inire coepi Brutina plane — vestri enim haec sunt propria sanguinis — rei publicae liberandae.*

In protasi pro verbo finito et particula subiunctiva participium:

Lael. 5: *quam legens te ipsum cognosces.*

Item: or. c. s. gr. e. 20; p. Arch. p. 14; de nat. deor. II 59; de div. I 6.

b. Protasis ex pluribus, apodosis ex uno enuntiato constat.

Enuntiata, quae protasin faciunt, sunt:

Eiusdem ordinis:

ad Att. XII 21, 1: *Quae omnia quia Cato laudibus extulerat in coelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio.*

Item: de or. I 76 (*quas ego si*); in Verr. l. V 96 (*quem posteaquam*); p. Cluent. 68 (*quam cum*); p. Balb. 56 (*quos ut*); ad fam. IV 3, 1 (*quod quamquam*); XIV 1, 3 (*quem ego diem si*); de fin. V 96 (*quod cum*); de leg. III 21 (*quem cum*).

Forma a (b : A):

p. Sull. 19: *Quae si de uno me cogitasset, qua mollitia sum animi ac lenitate, nunquam mehercule illius lacrimis ac precibus restitissem.*

Item: p. Cael. 10 (*ad quem si*); p. Planc. 13 (*quam petitionem cum*).

Post pronomen relativum alterum relativum:

de nat. deor. I 121: *quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur.*

Item: in Cat. III 27 (*quam qui*).

In oratione obliqua:

de or. III 140: *quam qui accepissent, si eidem ingenio ad pronuntiandum valuissent et se ad dicendum quoque non repugnante natura dedissent, eloquentia praestitisse.*

Apodosis facit interrogationem rectam:

de off. II 37: *Quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua iis ampla et honesta obiecta totos ad se convertit et rapit, tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?*

Item: Phil. X 12 (*quod si*).

Parenthesis inter protasin et apodosin:

de leg. agr. II 9: *Quae cum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem — neque enim obscure gerebantur — dixi in senatu, in hoc magistratu me popularem consulem futurum.*

In enuntiato relativo participium pro verbo finito et particula subiunctiva:

Or. 226: *quam perverse fugiens Hegesias, dum ille quoque imitari Lysiam vult, alterum paene Demosthenem, saltat incidens particulas.*

Diversi ordinis:

p. Rosc. A. 17: *quas inimicitias si tam cavere potuisset, quam metuere solebat, viveret;* ad fam. II 10, 3: *quod si, ut spero, cepero, tum vero litteras publice mittam.*

Item: p. Rosc. A. 130 (*quae omnia si*); p. Sull. 31 (*quod cum*); p. Marcell. 6 (*quae quidem ego nisi*); ad Att. XIII 29, 2 (*quam ut*); de fin. II 9 (*quas si*); IV 43 (*quae cum*); Tusc. disp. V 85 (*quam cum*); de nat. deor. II 99 (*quae si*).

Post relativum alterum relativum:

Or. 231: *Quae vitia qui fugerit, ut neque verbum ita traiiciat, ut id de industria factum intellegatur, neque inferciens verba quasi rimas expleat, nec . . ., is omnia fere vitia vitaverit.*

Item: Lael. 75 (*quas qui*).

Apodosis facit interrogationem rectam:

de leg. I 35: *Quae cum vera esse recte, ut arbitror, concesserimus, qui iam licet nobis a natura leges et iura seiungere?*

Item: de orat. II 193 (*quae si*).

Et diversi et eiusdem ordinis:

ad Att. II 7, 2: *Quam si ille contemnit et si, ut scribis, bilem id commovet et latoribus et auspicibus legis curiatae, spectaculum egregium.*

Apodosis facit interrogationem rectam:

Or. 74: *quod si poeta fugit ut maximum vitium, qui peccat etiam, cum probi orationem affingit . . .; si denique pictor ille vidit, cum . . .; si denique histrio quid deceat quaerit, quid faciendum oratori putemus?*

c. Protasis ex uno, apodosis ex pluribus enuntiatis constat.

Enuntiata, quae apodosis continet, sunt:

Eiusdem ordinis:

p. Mil. 2: *Quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem esse oratori locum*; ad fam. VI 4, 5: *quae cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar.* — p. Quinct. 68: *Quod si velim confiteri, illud, opinor, concedent, non procuratorem P. Quinctii neminem fuisse, sed gratiosum fuisse.*

Item: de or. II 12 (*quod ubi*); Br. 10 (*quos postquam*); part. or. 140 (*ad quos si*); p. Rosc. A. 60 (*quem simul atque*); p. Cluent. 93 (*quos ubi*); de dom. 96 (*quod cum*); p. Planc. 47 (*quod si*); p. Ligar. 36 (*quam huius admonitus officio cum*); Phil. XII 27 (*quem cum*); ad fam. XII 12, 2 (*quos si*); ad Att. I 4, 3 (*quod si*); ad Br. II 2, 3 (*quas statim cum*); acad. post. I 43 (*quae cum*); de nat. deor. II 5 (*quod nisi*); 95 (*quae cum*); Cato m. 26 (*quod cum*); de off. III 67 (*quod si*); 110 (*quod quia*); de re p. I 18 (*quos cum*); VI 14 (*quem ut*);

Post relativum ponitur alterum relativum:

Tusc. disp. IV 38: *quod qui faciet, non aegritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus.*

Item: Or. 171 (*quod qui*); de off. II 67 (*quod qui*); Cato m. 38 (*quod qui*);

Apodosis facit interrogationem:

Tusc. disp. II 14: *quae ut effugias, quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor?*

Item: Tusc. disp. IV 46 (*quae cum*); de re p. II 28 (*quae cum*); IV 17 (*quae cum*).

Apodosis exclamationem facit:

p. Mil. 38: *Quem si interficere voluisset, quantae quotiens occasiones, quam praeclarae fuerunt!*

Item: de fin. II 62;

In oratione obliqua:

de div. I 50: *quod cum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum.*

Diversi ordinis:

in Verr. l. IV 39: *Quod ubi iste audivit, usque eo commotus est, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur.* — ad fam. II 19, 2: *quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quam primum veneris.*

Item: de or. I 38 (*quod nisi*); 232 (*quod cum*); II 95 (*quae si*); Br. 281 (*quae si*); 283 (*quod quamquam*); p. Rosc. A. 10 (*quod si*); in Caecil. 23 (*quod cum*); in Verr. l. I 70 (*quae si*); l. II 84 (*quae posteaquam*); l. III 223 (*quod etiam si*); l. IV 26 (*ad quam cum*); 38 (*quod . . ubi*); 39 (*quod ubi*); 73 (*quem tanrum cum*); 106 (*quam cum*); 136 (*ad quas ego cum*); 139 (*quod posteaquam*); 148 (*quod ubi*); p. Font. 43 (*quae si*); p. Cluent. 151 (*quod si*); in Cat. II 12 (*quod ego si*); p. Mur. 75 (*quem cum*): p. Sull. 68 (*quod si*); p. Cael. 43 (*quod si*); in Pis. 14 (*quae cum*); p. Mil. 31 (*quod si*); 51 (*quod ut*); 56 (*in quos incensos ira vitamque domini desperantes cum*); Phil. V 49 (*quod cum*); VII 9 (*quae tria dum*); XIII 35 (*per quos si*); ad fam. I 9, 19 (*quod quoniam*); II 15, 4 (*quem tamen si*); III 5, 4 (*quam facultatem si*); IV 3, 2 (*quae quia*): V 2, 1 (*quod cum*); 4 (*quae cum*); 6 (*quem ego cum*); VII 31, 1 (*quod quoniam*); IX 9, 3 (*quod si*); X 5, 3 (*quae quamquam*); 12, 5 (*quam quoniam*); 18, 3 (*quae si*); XIII 17, 2 (*quem si tu*); 19, 3 (*quod si*); 26, 3 (*quod quo*); XV 12, 2 (*quam mihi facultatem quoniam*); ad Q. fr. I 1, 3 (*quod quoniam*); 3, 6 (*quae si*); ad Att. I 5, 5 (*quam si*); VI 9, 1 (*quas quidem cum*); VII 3, 5 (*quem cum*); VIII 15, 1 (*quod cum*); X 9 A., 3 (*quod si*); 17, 1 (*quam priusquam*); XI 1, 1 (*quam si*); 20, 2 (*quod si*); 24, 1 (*quod cum*); XVI 7, 1 (*quae cum*); 16 B., 9 (*quod si*); VIII 3, 5 (*ad quem cum*); XIII 18 (*quem si*); acad. pr. II 61 (*quos si*); de fin. III 50 (*quod si*); ibid. (*quam si*); V 95 (*quem si*): Tusc. disp. I 55 (*quod cum*): 76 (*quam cum*); V 11 (*quem morem cum*); 46 (*quod ni*); 95 (*quos cum*); de nat. deor. II 10 (*quos cum*); III 47 (*quae si*); 63 (*quod cum*); de div. I 73 (*quem cum*); 117 (*quem si*); 119 (*quod ne*); 127 (*quod cum*); 131 (*quae si*); II 101 (*quae cum*); Cato m. 38 (*quas si*); Lael. 63 (*quam*

etiam si); parad. stoic. prooem. § 3 (*quod cum*); parad. st. V 35 (*quod etsi*); de re p. I 18 (*quod cum*); 70 (*quod si*);

In apodosi interrogatio obliqua aut enuntiatum substantivum et verbum vel locutio a quo illud pendet:

p. Sull. 58: *quas cum peteret, non commisit ut sui procuratores quidquam oneris absente se sustinerent;* — de or. II 155: *quos tu cum haberes auctores, Antoni, miror cur philosophiae sicut Zethus ille Pacuvianus prope bellum indixeris.*

Item: in Caecil. 42 (*quae cum*); p. Font. 18 (*quas si*); p. Scaur. 21 (*quod ego crimen antequam*); ad fam. V 12, 1 (*quod etsi*); ad Att. III 13, 1 (*quam si*); VIII 11 D., 4 (*quas cum*); acad. post. I 1 (*quod cum*); de fin. V 87 (*quam si*).

Post pronomen relativum ponitur alterum relativum:

ad Att. VII 1, 7: *quam qui non decrevit, plus decrevit, quam si omnes decresset triumphos.*

Item: Or. 168 (*quod qui*); Tusc. disp. III 14 (*quae qui*); V 118 (*quae qui*); de nat. deor. II 4 (*quod qui*); de leg. I 42 (*quam qui*).

Apodosis facit interrogationem:

p. Sest. 49: *Quod si fecissem, quod a me beneficium haberetis, cum pro vobis ea, quae mihi essent vilia, reliquissem?*

Item: de or. II 45 (*quae ut*); in Verr. l. V 22 (*quae cum*); p. Cael. 60 (*quem quidem virum si*); p. Sest. 62 (*quod ille si*); de nat. deor. III 49 (*quem si*).

Tota comprehensio pars tantum est interrogationis:

Phil. II 9: *Quid enim est minus non dico oratoris, sed hominis, quam id obiicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit qui obiecerit?*

Item: in Verr. l. III 160 (*quod cum*).

In oratione obliqua:

de re p. I 29: *quas ut vidisset, exclamavisse ut bono essent animo.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

ad. fam. I 9, 5: *Quae cum viderem — neque erant*

obscura — non tamen tam acerba mihi haec accidebant, quam erant illa grata, quae fecerant.

Item: de opt. gen. or. 9 (*quod cum*).

In protasi ponitur participium pro verbo finito et particula subiunctiva:

de nat. deor. II 153: *Quae contuens animus accedit ad cognitionem deorum, e qua oritur pietas, cui coniuncta iustitia est reliquaeque virtutes, e quibus* et q. s.

Item: Tusc. disp. I 48; Cato m. 43 (in oratione obliqua).

Et eiusdem et diversi ordinis:

de off. I 100: *Quam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus sequemurque et id, quod acutum et perspicax natura est et id, quod* et q. s. — ad. fam. XIII 73, 2: *Quod ego si arbitrarer, nunquam te rogarem, mihique tua fama multo antiquior esset, quam illa necessitudo est.*

Item: de or. III 213 (*quam cum*); Br. 15 (*quae cum*); 26 (*in quam cum*); p. Rosc. A. 27 (*quod hic simul atque*); in Verr. l. III 31 (*quae cum*); de dom. 146 (*quem cum*); p. Balb. 48 (*quem cum*); ad fam. IV 13, 7 (*quae si*); VI 10, 4 (*quod quidem si*); VII 3, 2 (*quae cum*); XV 2, 5 (*quae cum*); 6 (*quae cum*); ad Att. II 22, 2 (*quod si*); IX 11 A.. 3 (*quae si*); XI 1, 2 (*quam quidem ego nisi*); de fin. I 72 (*quae cum*); II 119 (*quae cum*); III 30 (*quae quamquam*); 50 (*quam si*); de nat. deor. II 1 (*quae cum*); III 1 (*quae cum*); de div. I 102 (*quae maiores nostri quia*); de off. II 29 (*quam P. Sulla cum*); 82 (*quam cum*); III 49 (*quod Aristides cum*); de re p. VI 10 (*quem ubi*); 26 (*quae cum*).

Post relativum alterum relativum:

p. Rosc. A. 111: *quam qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium et, quantum in ipso est, disturbat vitae societatem.*

Item: de inv. I 78 (*quos qui*); de nat. deor. II 44 (*quae qui*); Lael. 32 (*quam qui*).

Apodosis facit interrogationem:

ad. fam. III 10, 10: *quae ut omittam tam multa atque tanta, quis umquam tanti quemquam fecit aut facere potuit aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium, socerum tuae filiae?*

Inter partes apodosis parenthesis collocatur:

Phil. IX 8: *quem cum videretis re magis morbum quam oratione excusantem, non vos quidem crudeles fuistis — quid enim minus in hunc ordinem convenit? — sed, cum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate et sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis atque eum, qui . . ., de sententia deiecistis.*

Participium pro verbo finito et particula subiunctiva:

de off. I 14: *quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ... in consiliis factisque conservanda putat cavetque ne quid indecore . . . faciat* et q. s.

Item: de fin. IV 79 (*quam illorum . . . fugiens*).

d. Et protasis et apodosis ex pluribus enuntiatis constant.

Protasis complectitur enuntiata eiusdem ordinis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

Tusc. disp. I 43: *Quam regionem cum superavit animus naturamque sui similem contigit et adgnovit, iunctis ex anima tenui et ex ardore solis temperato ignibus insistit et finem altius se efferendi facit.*

Item: p. Cael. 80 (*quem si*); de fin. V 75 (*quae cum*); de re p. I 14 (*quem cum*).

Forma a (b : A):

de leg. agr. II 16: *Quae cum, Quirites, exposuero, si falsa vobis videbuntur esse, sequar auctoritatem vestram, mutabo meam sententiam.*

Item: p. Mil. 23 (*quod quo*); de re p. VI 18 (*quae cum*).

Parenthesis inter *a* et *b:*

Phil. II 77: *Quam cum illa legeret flens, — erat enim scripta amatorie, caput autem litterarum: sibi cum*

illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abiecisse illim atque in hanc transfudisse — cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit.

Diversi ordinis:

de or. II 353: *Quos cum humare vellent sui neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscuiusque sepeliendi fuisse.*

Item: de or. III 93 (*quam cum*); in Verr. IV 18 (*quae quia*); p. reg. D. 7 (*quae quoniam*); Phil. I 6 (*quae cum*); in tog. cand. (pg. 944 v. 31 sqq. I (*quod cum*); acad. post. I 16 (*quae cum*); de leg. II 63 (*quod cum*).

Post relativum alterum relativum: forma: a : (b : A):

de leg. III 42: *Quod qui permovet, cum agi nihil potest, vim quaerit, cuius inpunitatem amittit hac lege.*

Item: de fin. I 64 (*quos qui*).

Apodosis interrogationem facit:

in Verr. l. III 149: *Quod sive fateris sive convinceris, quot et quam manifestis rebus teneare non vides?*

Et eiusdem et diversi ordinis:

p. Rabir. perd. 25: *Quod tu si audisses aut si per aetatem scire potuisses, nunquam profecto istam imaginem, quae domi posita pestem atque . . . attulisset, in rostra atque in contionem attulisses, nec tuas umquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem . . . videres.*

Protasis continet enuntiata diversi ordinis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

p. Rosc. A. 149: *Quod si omnes, qui eodem loco nati sunt, facerent, et res publica ex illis et ipsi ex invidia minus laborarent.*

Item: ad fam. I 9, 9 (*quem cum*); III 10, 1 (*quod tu si*); VII 33, 2 (*quas si*); de fin. I 26 (*quae cum*).

Post relativum alterum relativum:

de opt. g. or. 9: *Quod qui ita faciet, ut, si cupiat uberior esse, non possit, habeatur sane orator, sed de minoribus.*

Eiusdem generis forma exsistere potest ex conformatione quadam structurae I velut: Quos meus consulatus, quoniam sanare non potuit, sustulit, cum tota comprehensio particula quadam eis, quae sequuntur, subiungitur:

in Cat. II 11: *Quos si meus consulatus, quoniam sanare non potest, sustulerit, non breve nescio quod tempus, sed multa saecula propagarit rei publicae.*

Diversi ordinis:

de nat. deor. II 125: *quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat;* ad fam. V 20, 5: *Quae cum viderem tot vestigiis impressa, ut in iis errari non posset, non adscripsi id, quod tua nihil referebat.*

Item: p. Rosc. c. 54 (*quod si*); in Verr. l. II 129 (*quae iste cum*); p. Sest. 39 (*quos homines si*); p. Balb. 64 (*quod ius si*); Phil. XII 28 (*quae cum*); ad fam. XI 28, 1 (*qnod quoniam*); XIII 7, 4 (*quod etsi*); Lael. 29 (*quam si*); de re p. III 8 (*quod quoniam*).

Apodosis facit interrogationem:

p. Rosc. c. 45: *quod si facit, qua impudentia est, eumne testem improbabit, quem iudicem probarit?*

Item: acad. post. I 52 (*quod si*).

Eiusdem generis conformatio oriri potest ex forma quadam structurae II velut: quod quia ad te pertinet, ratum esse negas oportere (cf. pg. 87) cum tota comprehensio eis, quae sequuntur, subiungitur:

de dom. 125: *Quod si, quia ad te pertinet, ratum esse negas oportere, iura constituisti in praeclaro tribunato tuo, quibus in te conversis recusares, alios everteres.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

de re p. I 65: *quem si optimates oppreserunt, quod ferme evenit, habet statum res publica de tribus secundarium, est enim quasi regium, id est patrium consilium populo bene consulentium principum.*

Item: p. Sull. 4 (*quem cum*).

Protasis complectitur enuntiata et eiusdem et diversi ordinis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

p. Font. 39: *Quem cum in contionem Gracchus vocari iuberet et viator quaereret „quem Pisonem?" quod erant plures, „Cogis me" inquit, „dicere inimicum meum Frugi."*

Diversi ordinis: in oratione obliqua:

acad. pr. II 29: *quam rationem quoniam susciperent docereque vellent, quae visa accipi oporteret et quae repudiari, certe hoc ipsum, ex quo omne veri falsique iudicium esset, percipere eos debuisse;*

Et eiusdem et diversi ordinis:

Phil. XI 26: *Quod si confecerit Brutus et intellexerit plus se rei publicae profuturum, si Dolabellam persequatur, quam si in Graecia maneat, aget ipse per sese, ut adhuc quoque fecit, neque in tot incendiis, quibus confestim succurrendum est, exspectabit senatum.*

Forma a (b:A):

de re p. III 42: *Quae cum dixisset Laelius, etsi omnes, qui aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos, tamen praeter ceteros Scipio quasi quodam gaudio elatus, „Multas tu quidem" inquit, „Laeli, saepe causas ita defendisti, ut ego non modo* et q. s.

Enuntiatum relativum est interrogatio obliqua aut enuntiatum substantivum.

Enuntiatum substantivum est fere semper obiectum verbi vel locutionis, a qua pendet:

Cato m. 4: *quam ut adipiscantur omnes optant;* ad Att. XV 14, 3: *Quod ut facias te vehementer etiam atque etiam rogo;* ad fam. XI 22, 2: *Quod ut facias ita a te peto, ut maiore studio magisve ex animo petere non possim.*

Item: ad fam. IX 11, 2 (*quod ut*); XI 17, 2 (*quod ut*); XII 14, 5 (*quae ego ne*); 18, 2 (*quod ut*); 26, 2 (*quod ut*); XIII 8, 3 (*quod ut*); 11, 3 (*quod ut*); 70 (*quod ut*); ad Att. I 17,4 (*quod ego ut*); X 8 B., 1 (*quod ut:* Caesar scribit); XII 6, 2 (*quod ut*); XVI 16 C., 13 (*quod ut*); 16 F., 18 (*quod ut*); ad Br. I 10, 1 (*quod ut*); II 16, 7: *quem quod laudas ob ea quae adhuc fecit, plane probo* (Brutus scribit); Tusc. disp. IV 4 (*quod ne*).

Enuntiatum primarium interponitur:

p. Caecin. 66: *quem in locum prohibui ne venires.*

Quod cum fit, si verbum, a quo enuntiatum substantivum pendet, casum accusativum petit et si sensus sinit, prolepsi admissa, structura I oritur:

de or. III 173[1]): *Quod iam vereor ne huic Catulo videatur esse puerile;* in quo loco pronomen *quod* in casu accusativo positum esse videri potest ex orat. p. Planc. 52: *quam tu vereris ne a te suscepta videatur*; idem apparet ex exemplis, quae in pagg. 33 et 38 attulimus; unum tantum invenimus exemplum, in quo, verbo primario pronomini proxime postposito, prolepsis tamen non fiat; ad fam. IX 8, 1: *qui metuo ne te forte flagitent.* (cf. pg. 43).

Nonnunquam verbum vel locutio a qua enuntiatum substantivum pendet, nullum casum regit:

in Caecil. 72: *quos ut incolumes conservare, tueri . . . possimus, omni ratione erit dimicandum.*

Item: ad fam. XI 10, 1: (*quod isti ne*).

Id cum occurrit, enuntiatum primarium interponi solet:

de or. III 41: *quae nemo est quin effugere cupiat;* p. Cluent. 187: *quod nemo Larinatium est qui nesciat;*

---

[1]) Reliqua eiusdem generis exempla leguntur in pag. 38.

de leg. agr. I 21: *quae nemo est quin gravissime et verissime conqueri possit;* ad Att. XI 7, 3: *quas quidem tu das operam ut lenias*; ibid. 15, 3[1]): *quae fletu reprimor ne scribam.*

Item: p. Sest. 33 (*quos nemo est quin*); de prov. cons. 33 (*quos — quin*); ad fam. VI 10, 2 (*quod — ut*); XII 25, 5 (*quam — ut*).

Forma a (b:A):

ad fam. XII 17, 1: *quam ut conserves, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo.*

Enuntiatum secundarium cum est interrogatio obliqua:

Perraro est subiectum locutionis a qua pendet:

ad Att. I 11, 3: *quas tu incredibile est quam brevi tempore quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti.*

Multo saepius obiectum:

de fin. II 10: *quam cur voluptatem appelles nescio;* p. Rosc. A. 79: *quos neque ut convenire potuerit neque qua ratione inducere neque ubi neque per quos neque qua spe aut quo pretio potes ostendere.*

Item: de dom. 136 (quam . . . quanta); p. Caec. 64 (*quos quamobrem*); ad fam. VII 30, 3 (*quam — quomodo*); ad Att. III 7, 3 (quem . . . quomodo); XIV 14, 6 (quae quam); XVI 16 C., 10 (quem quanti); de fin. II 103 (quos . . . quemadmo dum); V 14 (quem iam cur); Tusc. disp. I 39 (quem tu quanti).

Tota comprehensio subiungitur particula quadam etiam eis, quae sequuntur:

de nat. deor. I 53: *Quod quia quemadmodum natura officere sine aliqua mente possit non videtis, ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum.*

Eiusdem generis conformatio exsistere potest ex structura I, in qua prolepsis inest, velut:

---

[1]) in eiusmodi conformationibus tam arcte inter se duo enuntiata coniunguntur, ut omnino interpunctio inter eorum partes necessaria non sit; non recte Orellus, cum ita distinguit: *quae, fletu reprimor, ne scribam.*

quod scio cuius modi sit,
ubi cum tota comprehensio subiungitur.

ad Att. III 9, 3: *quod si sciam cuius modi sit, sciam quid agendum mihi sit.*

Ablativus.

a. Et protasis et apodosis ex uno enuntiato constant.

de fin. IV 41: *in qua si nihil est praeter rationem, sit in una virtute finis bonorum;* ad Br. II 1, 1: *qua si essent usi, iam pridem rem publicam recuperassemus;* in Verr. l. III 154: *de qua cum dixero, totum hoc crimen decumanum peroraro.*

Item: de or. I 242 (*a quo cum*); II 38 (*in qua quia*); III 20 (*quo cetera si*); Br. 141 (*quo genere quia*); Or. 136 (*quibus quia*); Top. 14 (*qua in parte cum*); in Verr. l. III 163 (*de quo dum*); IV 105 (*de quo si*); p. Rabir. perd. 17 (*qua tu in actione quamquam*); in Pis. 22 (*in quo cum*); Phil. V 35 (*qua etiam si*); X 20 (*quibus ut*); XI 12 (*a qua cum*); XIV 35 (*in quo nisi*); ad fam. I 9, 14 (*qua in sententia si*); IV 2, 3 (*qua cum*); VIII 6, 1 (*cum quo si*; Caelius scribit); X 21, 6 (*in quo si*); XII 2, 1 (*qua si*); XVI 15, 1 (*qua si*); ad Q. fr. I 1, 15 (*quo ex genere si*); ad Att. IV 1, 5 (*a qua plausu maximo cum*); 9, 1 (*de quo ipso si*); 15, 9 (*in quibus si*); ad Q. fr. III 3, 4 (*in quo quoniam*); de fin. II 51 (*quibus si*); V 57 (*quo studio cum*); Tusc. disp. III 19 (*qua quoniam*); de nat. deor. I 121 (*qua cum*); II 126 (*quo cum*); 144 (*a quo cum*); 147 (*de quo dum*); de div. I 25 (*in qua cum*); de re p. I 25 (*quibus—etiam si*); fragm. epist. pg. 971 v. 2—3 (*qua in re si*).

Pro pronomine adverbium relativum:

Tusc. disp. I 75: *Quo cum venerimus, tum denique vivemus.*

Item: Tusc. disp. V 66 (*quo cum*).

Post relativum alterum relativum:

de fin. I 60: *qua qui est imbutus, quietus esse nunquam potest.*

Item: acad. pr. 132 (*de qua qui*); de fin. II 115 (*quibus qui*);

parad. st. VI 51 (*qua praediti qui*); Cato m. 64 (*quibus qui*); fragm. p. 968 v. 23 (*quibus qui*).

Enuntiatum primarium inter partes secundarii ponitur:

de off. I 41: *quibus non male praecipuunt, qui ita iubent uti ut mercenariis;* poterat dici: quibus qui ita iubent uti ut mercenariis, non male praecipuunt.

In oratione obliqua:

ad Att. XIV 22, 1: *qua si usus non esset, nihil ei tale accidere potuisse.*

Apodosis facit interrogationem rectam:

p. Mil. 19: *ex quibus si me non vel mea vel rei publicae fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset?*

Item: in Cat. II 12 (*quo cum*).

Comprehensio relativa facit partem interrogationis:

Phil. XI 3: *Qualis igitur hostis habendus est is, a quo victore si cruciatus absit, mors in beneficii parte numeretur?*

Saepe ponitur participium pro verbo finito et particula subiunctiva vel altero relativo:

de div. I 79: *quo adspectu exterrita clamorem sustulit*; de off. II 15: *quibus rebus exculta hominum vita tantum destitit a victu et cultu bestiarum.*

Item: Br. 93; Top. 1; in Cat. I 19; in Pis. 93; Phil. XI 10; XIII 19; ad Att. X 8, 4; de fin. III 4; V 74; de nat. deor. II 14; Tusc. disp. V 31; de div. I 49; 115; Cato 53; in tog. cand. fragm. (Orell. ed. pg. 944 v. 1); Arat. fragm. v. 510 (Orell. ed. pg. 1029).

b. Protasis ex pluribus, apodosis ex uno enuntiato constat.

Enuntiata, quae faciunt protasin, sunt:

Eiusdem ordinis:

Tusc. disp. II 52: *qua cum liquescimus fluimusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus.*

Item: de prov. cons. 13 (*qua e poena si*); p. Mil. 21 (*ex quibus ille cum*); Tusc. disp. III 51 (*de quo ipso cum*); in Verr. l. IV 65 (*quo posteaquam*; adverb.).

Per anaphoram:

p. Mur. 70; *a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicae spatio honestamur, diligenter observari videmur et coli.*

Item: in Caecil. 39 (*in quo si*).

Pro verbo finito et particula participium:

Tusc. disp. I 62: *a quibus mansuefacti et exculti a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus.*

Item: de re p. VI 29.

Diversi ordinis:

de fin. V 35: *in quibus si peccetur distortione et . . . ac motu . . . deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis aut non ante, sed retro, fugere plane se ipse . . . videatur.*

Item: Or. 40 (*in quo cum*).

Et eiusdem et diversi ordinis:

p. Mur. 34: *Qua ex pugna cum se ille eripuisset et Bosporum confugisset, quo exercitus adire non posset, etiam in extrema fortuna et fuga nomen tamen retinuit regium.*

Item: p. Planc. 74 (*in qua cum*); de leg. II 40 (*quo cum*; adv.).

c. Protasis ex uno, apodosis ex pluribus enuntiatis constant:

Enuntiata, quae apodosin faciunt, sunt:

Eiusdem ordinis:

Cato m. 51: *e quibus cum emersit, fundit frugem spici ordine structam et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum.*

Item: de or. III 6 (*ex quo cum*); in Verr. l. II 148 (*qua cum*); p. Flacc. 45 (*pro quo cum*); de re p. II 25 (*quibus cum*).

Pro pronomine adverbium:

de or. III 145: *Quo cum ingressus esses, repente te*

quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit.

Item: ad Att. V 1, 3 (*quo ut*).

Post relativum alterum relativum:

de re p. VI 21: *in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus.*

Apodosis facit partem interrogationis:

in Verr. l. V 98: *Eone pirata penetravit, quo simul atque adisset, non modo a latere, sed etiam a tergo magnam partis urbis relinqueret?*

Diversi ordinis:

in Verr. A. I 3: *De quo si vos vere ac religiose iudicaveritis, auctoritas ea, quae in vobis remanere debet, haerebit;* Phil. V 53: *qua si essemus usi, bellum, ut saepe dixi, nullum haberemus.* de nat. d. II 129: *e quibus pullos cum excuderunt, ita tuentur, ut et pinnis foveant, ne frigore laedantur, et, si est calor, a sole se opponant.*

Item: de inv. I 4 (*quibus in controversiis cum*); Br. 111 (*sine qua etiam si*); Or. 45 (*quibus ut*); 136 (*quibus quia*); part. or. 79 (*a quibus ut*); in Caecil. 27 (*in quibus si*); in Verr. l. I 50 (*de qua expugnatione cum*); 155 (*de quo iudicio si*); p. Cluent. 97 (*qua si*; in apod. enunt. subst.); 117 (*qua de re antequam*); de dom. 27 (*qua quidem in sententia si*); p. Sest. 129 (*qua pravitate sua cum*); ad fam. XII 16, 3 (*in quibus versiculis si*; Trebonius scribit); XIII 4, 1 (*cum quibus si*); ad Att. IV 17, 2 (*quibus si*); VIII 12, 1 (*quo quia*); X 12, 5 (*in quo si*; in apod. enunt. subst.); de fin. IV 65 (*in quibus quamvis*); Tusc. disp. IV 33 (*ex quibus quoniam*); de off. I 151 (*de qua quoniam*); II 46 (*quiquscum si*); de re p. I 34 (*qua in disputatione quoniam*); de leg. I 32 (*quibus ex requs cum*); 34 (*de quo cum*).

Post relativum alterum relativum:

de fin. I 49: *qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt qua antequam nati;* — de fin. V 83: *quo qui potiatur, necesse est beatus sit.*

Item: or. 188 (*quibus — quod*); p. Ligar. 16 (*qua qui*);

Apodosis facit interrogationem:

de or. I 18: *in qua cum omnes in oris et vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint fuerintque, quos animo aequo spectare possimus?*

Item: de fin. I 11 (*qua de re cum*).

In oratione obliqua:

acad. pr. 140: *a qua qui aberravisset, eum nunquam quid in vita sequeretur habiturum.*

Item: de div. I 49 (*quo cum*; adv.).

Notabilis est conformatio orationis, in qua relativum ad ea, quae sequuntur spectat:

de off. II 47: *qua aetate qui exercentur, laude affici solent, ut de Demosthene accepimus, ea aetate L. Crassus ostendit id se in foro optime iam facere, quod etiam tunc poterat domi cum laude meditari*; de leg. II 12: *Quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis?*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

ad fam. VII 1, 5: *quibus si me relaxaro — nam ut plane exsolvam non postulo — te ipsum, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profecto, quid sit humaniter vivere.*

Item: Phil. XI 15 (*quo cum*).

Participium pro verbo finito et particula:

p. Caecin. 22: *Quo loco depulsus Caecina tamen, qua potuit, ad eum fundum profectus est, in quo ex conventu vim fieri oportebat.*

Item: Phil. XIII 27.

Et eiusdem et diversi ordinis:

p. Rosc. A. 66: *ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur.*

Item: de or. I 72 (*quibus ipsis si*); ad fam. XIII 24, 2 (*de quo etsi*); ad Att. II 1, 5 (*qua de re cum*); Tusc. d. III 33 (*a quibus cum*); de div. I 75 (*qua in pugna quia*).

Post relativum alterum relativum:

ad Att. X 11, 1: *quibus quae de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil ὕπουλον, nihil fallax . . . nihil, quod non, quo velis, uno sermone possis perducere.*

Item: p. Mil. 29 (*ex quibus qui*); de opt. gen. or. 3 (*quo qui*).

Participium pro verbo finito:

in Cat. I 19: *a quo non receptus etiam ad me venire ausus es atque ut domi meae te asservarem rogasti.*

d. Et apodosis et protasis ex pluribus enuntiatis constant.

Protasis ex eiusdem ordinis enuntiatis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

p. Flacc. 54: *Quo cum venisset Laelius ad iratos et illud Castricianum vulnus dicendo refricuisset, siluerunt principes neque in illa contione adfuerunt, neque istius decreti ac testimonii auctores esse voluerunt.*

Item: de or. I 239 (*ex quo ut*).

Diversi ordinis:

in Verr. l. I 120: *a qua muliere cum erat ad eum ventum et in aurem eius insusurratum, alias revocabat eos, inter quos iam decreverat decretumque mutabat.*

Item: de re p. II 13 (*qua ex causa cum*).

Forma a (b:A):

de off. I 35: *In quo si mihi esset obtemperatum, si non optimam, at aliquam rem publicam, quae nunc nulla est haberemus.*

Participium pro verbo finito:

de or. II 192: *quibus rebus adducti, etiam cum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi, existimare non possumus.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

ad fam. XI 26, 1: *A quibus cum discessi, etsi mini-*

mum mihi est in coena — quod tu unum ζήτημα Dioni philosopho posuisti — tamen quid potius faciam, priusquam me dormitum conferam, non reperio.

Et eiusdem et diversi ordinis:

ad Att. I 17, 8: *Qua in re decernenda cum ego casu non affuissem sensissemque id equestrem ordinem ferre moleste neque aperte dicere, obiurgavi senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate et in causa non verecunda admodum gravis et copiosus fui.*

Forma a (b:A):

ad Att. IX 7 A., 2: *a quo si erit nobis rescriptum, statim cum sciemus, ad te scribemus et tibi fidem faciemus nos ea suadere, quae nobis videntur tuae dignitati, non Caesaris rationi, esse utilissima*; (Balbus et Oppius scribunt).

Protasis comprehendit enuntiata diversi ordinis, apodosis:

Eiusdem ordinis:

Phil. II 37: *Quod quidem tempore si, ut dixi, meum consilium auctoritasque valuisset, tu hodie egeres, nos liberi essemus, res publica non tot duces et exercitus amisisset;* ad Att. VII 2, 6: *A quo si ea gesta essent, quae scripsit, gauderem et honori faverem.*

Post relativum alterum relativum:

Timae. cap. 11 ex.: *In quibus qui tales creabuntur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur teneantque omnium animantium principatum vobisque iure et lege volentes pareant.*

Diversi ordinis:

ad Att. I 19, 10: *in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam, quod tibi, ut opinor, Panhormi Lucullus, de suis historiis dixerat, se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse.*

Item: p. Mur. 15 (*quo loco si*); ad fam. IV 14, 2 (*quibus si*); de nat. d. I 70 (*a quibus cum*); de leg. II 40 (*de quo cum*).

Et eiusdem et diversi:

Participium pro verbo finito:

Tusc. d. V 8: *A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem, quem, ut scribit auditor* et q. s.

Protasis complectitur enuntiata et eiusdem et diversi ordinis, apodosis:

Eiusdem ordinis:

Ex constructione quadam structurae I velut:

De quibus, ut meriti sunt, graviter constituitis, potest interdum huius generis structura exsistere, cum tota comprehensio eis, quae sequuntur, subiungitur:

ad fam. XII 15, 6: *De quibus, si vobis videbitur, si, ut meriti sunt, graviter constitueritis nosque vestra auctoritate firmaveritis, facilius et reliqua exigere vectigalia et exacta servare poterimus.*

Diversi ordinis:

ad fam. VI 4, 2: *A qua quoniam tantum absumus, ut etiam optime senserimus, eventusque magis nostri consilii quam consilium reprehendatur et quoniam praestitimus, quod debuimus, moderate, quod evenit, feramus.*

Item: ad fam. XV 2, 3 (*quo cum in loco*).

Forma a (b : A):

Or. 140: *De quo cum mihi deinceps viderem esse dicendum, etsi movebant iam me illa, quae supra dixeram, tamen iis, quae sequuntur, perturbabar magis.*

Enuntiatum relativum est interrogatio obliqua aut enuntiatum substantivum.

Enuntiatum substantivum est:

Subiectum enuntiati primarii:

p. Cluent. 158: *qua nunc ut utar . . . non conceditur.*

Obiectum enuntiati primarii:

ad Att. XII 37, 2: *qua in re ne labar, quaeso provide.*

Item: de har. resp. 61 (*quo ne*); Phil. I 6 (*quibus ut*); ad fam. VIII 1 (*de quo ut*).

Enuntiatum primarium inter partes secundarii collocatur:

ad Att. XIV 17, 2: *quo quidem metuo ne magno rei publicae malo veniret* (adv.); ad Q. fr. I 1, 17: *in quibus vereor etiam ne durior sim*; ad Att. IX 18, 4: *quo quidem non dubito quin istum offenderim.*

Verbum vel locutio a qua enuntiatum substantivum pendet nec obiecti, nec subiecti casum regit:

de pet. cons. 13: *quo honore nemo est quin te dignum arbitretur*; ad fam. XI 27, 8: *in quo qui mihi non assentiretur inveni neminem.*

Formae a : (b : A) variatio:

in Caecil. 32: *ex qua, etiam si cuperet praetor, tamen, ne qua diductio fieret, magna ex parte tua potestas est* (b [a] A [b] A).

Interrogatio obliqua est:

Subiectum enuntiati primarii:

de fat. 17: *in qua quid valeat id quod fieri possit anquiritur.*

Item: Br. 29 (*quibus temporibus quid*); p. Mur. 50 (*quibus rebus qui*); Tusc. d. I 102 (*de qua . . . quid*); V 81 (*quo quid sit beatius mihi certe in mentem venire non potest*).

Enuntiatum primarium interponitur:

Or. 55: *quibus omnibus dici vix potest quantum intersit quemadmodum utatur orator* (interrogatio obliqua pendet ab altera interrogatione).

Obiectum enuntiati primarii:

in Verr. II 165: *In quo quae vestra defensio futura sit coniectura assequi non queo*; in Verr. A. I 10: *Quibus ego rebus quid iste speret et quo animum intendat facile*

perspicio; Phil. II 79: *Qua in re quanta fuerit uterque vestrum perfidia in Dolabella, quis ignorat?*

Item: de or. I 243 (*in quo quid*); Br. 8 (*quibus . . . quemadmodum*) de or. II 195 (*de qua quid*); in Caecil. 26 (*in quo qnid*); p. Rosc. A. 124 (*de quo . . . quando*); in Verr. l. V 57 (*in qua quam*); p. Cluent. 46 (*in quibus quantus*); or. c. s. gr. e. 25 (*quo tempore quantam*); de imp. Cn. Pomp. 58 (*de qua quid*); Phil. II 95 (*qua ex syngrapha quid*); XI 34 (*in quo quid*); ad. fam. IV 7, 3 (*de quo quid*); ad Att. XI 9, 2 (*ex quibus unus qua mente*); XIII 34 (*de quo quae*); XV 13, 7 (*de quo quid*); Tusc. disp. V 121 (*in quo quantum*); de div. I 10 (*de quibus quid*); de off. II 57 (*in quibus omnibus quid*); de leg. agr. II 12 (*quibus rebus quanto*).

Enuntiatum primarium interponitur:

p. Cael. 62: *in quibus non invenio quae latebra togatis hominibus esse posset*; de fin. III 11: *de quibus cupio scire quid sentias.*

Item: in Pis. 22 (*in quo . . . utrum*); ad Br. II 7, 2 (*quocum . . . quantum*); de fin. IV 3 (*in qua . . . quid*); Lael. 20 (*qua . . . utrum*); de re p. I 11 (*quibus an*).

Conspectus conformationum structurae III.

Nulla pronominis relativi casuum ratione habita, haec sunt omnes structurae III conformationes:

a. Et protasis et apodosis continent unum enuntiatum:

ad Br. II 1, 1: *qua si essent usi, iam pridem rem publicam recuperassemus.*

Post relativum alterum relativum:

in Pis. 71: *quam qui profitetur, gravissimam mihi sustinere personam videtur.*

Apodosis facit interrogationem:

Phil. I 23: *quibus cum provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur?*

Tota comprehensio relativa facit partem interrogationis:

de dom. 110: *Eumne potissimum Libertas domo suo debuit pellere, qui nisi fuisset, in servorum potestatem civitas tota venisset?*

Apodosis exclamationem facit:

ad fam. II 12, 2: *Quod cum probe scirem, utinam in sententiam permansissem!*

In oratione obliqua:

in Verr. l. IV 106: *quas sibi cum ipsa praeferret, orbem omnem peragrasse terrarum.*

Pro pronomine adverbium relativum:

Tusc. de I 75: *quo cum venerimus, tum denique vivemus.*

In continuatione orationis:

ad Att. VII 9, 3: *O rem miseram! siquidem id ipsum deterrimum est quod recusari non potest et quod ille si faciat, iamiam a bonis omnibus summam ineat gratiam.*

Enuntiatum primarium interponitur:

in Vat. 16: *quem tu dirumperis cum aedilicium vides.*

Relativum spectat ad ea, quae sequuntur:

de or. I 128: *Quae enim singularum artium artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non potest.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

Phil. VII 14: *Quod si non possumus facere — dicam quod dignum est senatore et Romano homine — moriamur.*

Parenthesis in apodosi ipsa:

ad Br. I 15, 6: *quem cum in me incitavissem, consilia inire coepi Brutina plane — vestri enim haec sunt propria sanguinis — rei publicae liberandae.*

b. Protasis plura, apodosis unum enuntiatum continet:

Enuntiata, quae protasin faciunt, sunt:

Eiusdem ordinis:

Quae enuntiata coniunguntur vel coniungi possunt:

p. Rosc. A. 139: *qui posteaquam magistratus creavit legesque constituit, sua cuique procuratio auctoritasque est restituta.*

Non coniunguntur nec coniungi possunt: Forma a (b : A):

ad Att. XV 20, 4: *quae si fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxius, tamen ei propemodum nihil deerit.*

Forma b (a) b : A:

in Pis. 17: *Tu es ille cui crudelitas displicet? qui, cum senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, cum videres maerere rem publicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid facis?*

Post relativum alterum relativum:

de nat. d. I 121: *quam qui adeptus erit, ubicunque erit gentium, a nobis diligetur.*

Apodosis facit interrogationem:

de off. II 37: *Quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt cumque aliqua iis ampla et honesta obiecta totos ad se convertit et rapit, tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?*

In oratione obliqua:

de or. III 140: *quam qui accepissent, si eidem ingenio ad pronuntiandum valuissent et se ad dicendum quoque non repugnante natura dedissent, eloquentia praestitisse.*

Pars constructionis repetitur:

p. Planc. 13: *quam petitionem cum reliquisses, si hoc indicasti tanta in tempestate te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi, si nolle, de voluntate.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

de leg. agr. II 9: *Quae cum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem — neque enim obscure gerebantur — dixi in senatu, in hoc magistratu me popularem consulem futurum.*

Diversi ordinis:

in Pis. 93: *Quibus cum iuratus affirmasset se quae deberentur postero die persoluturum, domum se abdidit.*

Post relativum alterum relativum:

Or. 231: *Quae vitia qui fugerit, ut neque verbum ita traiiciat, ut id de industria factum intellegatur, neque . . ., is omnia fere vitia vitaverit.*

Apodosis facit interrogationem:

p. Cluent. 171: *Quae si falsa sunt, id quod omnes intellegunt, quid ei tandem mors eripuit praeter sensum doloris?*

Et diversi et eiusdem ordinis:

Timae. 4: *Quorum ne quid accideret atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus hoc ipso, quod solus atque unus esset, idcirco singularem deus hunc mundum atque unigenam procreavit.*

Forma a (b:A):

Phil. II 38: *Quae sententia si valuisset ac non ei maxime mihi, quorum ego vitae consulebam, spe victoriae elati obstitissent, ut alia omittam, tu certe nunquam in hoc ordine vel potius nunquam in hac urbe mansisses.*

Apodosis facit interrogationem:

Or. 74: *quod si poeta fugit ut maximum vitium, qui peccat etiam, cum probi orationem affingit . . .. si denique pictor ille vidit, cum . . ., si denique histrio quid deceat quaerit, quid faciendum oratori putemus?*

c. Protasis unum, apodosis plura enuntiata continet:

Enuntiata, quae apodosin faciunt, sunt:

Eiusdem ordinis:

de or. III 55: *quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus.*

Post relativum alterum relativum:

Phil. VIII 23: *cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt sed ipse est potius repudiandus.*

Apodosis facit interrogationem:

Tusc. d. IV 38: *Quae cum exponunt, nihilne tibi videntur an aliquid dicere?*

Apodosis facit partem interrogationis:

in Verr. l. V 98: *Eone pirata penetravit, quo simulatque adisset, non modo a latere sed etiam a tergo magnam partem urbis relinqueret?*

Apodosis facit exclamationem:

p. Mil. 38: *Quem si interficere voluisset, quantae quotiens occasiones, quam praeclarae fuerunt!*

In oratione obliqua:

de div. I 50: *quod cum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse Hamilcarumque ab iis vivum esse sublatum.*

Pro pronomine adverbium relativum:

de or. III 145: *Quo cum ingressus esses, repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit.*

Diversi ordinis:

in Verr. l. IV 39: *Quod ubi iste audivit, usque eo commotus est, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur.*

In apodosi interrogatio obliqua et locutio a qua illa pendet:

ad Att. V 21, 13: *quae si Bruto non probatur, nescio cur illum amemus.*

In apodosi enuntiatum substantivum et locutio a qua illud pendet:

de fat. 41: *Quae si ipsae non sunt in nostra potestate, non sequitur ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate.*

Post relativum alterum relativum:

ad Att. VII 1, 7: *quam qui non decrevit, plus decrevit, quam si omnes decresset triumphos.*

Apodosis facit interrogationem:

p. Sest. 49: *Quod si fecissem, quod a me beneficium haberetis, cum pro vobis ea, quae mihi essent vilia, reliquissem?*

Apodosis facit partem interrogationis:

Phil. II 9: *Quid enim est minus non dico oratoris, sed hominis, quam id obiicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit?*

Apodosis facit exclamationem:

ad fam. XII 3, 1: *quod quoniam praeteriit, utinam haberem quid vobis darem consilii!*

In oratione obliqua:

de leg. III 30: *quorum cum essent magnificae villae, concedi sibi oportere, quod iis, qui inferioris ordinis essent, liceret.*

Relativum spectat ad ea quae sequuntur:

de off. II 47: *qua aetate qui exercentur, laude affici solent, ut de Demosthene accepimus, ea aetate L. Crassus ostendit id se in foro optime iam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

ad fam. I 9, 5: *Quae cum viderem — neque erant obscura — non tamen tam acerba mihi haec accidebant, quam erant illa grata, quae fecerant.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

ad fam. VI 20, 3: *qui etsi est gravissimus, tamen ita viximus et id aetatis iam sumus ut omnia, quae non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus.*

Post relativum alterum relativum:

ad Att. X 11, 1: *quibus quae de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil ὕπουλον, nihil fallax .. nihil, quod non, quo velis, uno sermone possis perducere.*

Apodosis facit interrogationem:

ad fam. III 10, 10: *quae ut omittam tam multa atque tanta, quis umquam tanti quemquam fecit aut facere potuit aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium, socerum tuae filiae?*

Parenthesis inter partes apodosis:

Phil. IX 8: *quem cum videretis re magis morbum quam oratione excusantem, non vos quidem crudeles fuistis — quid enim minus in hunc ordinem convenit? — sed, cum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate et sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis atque eum, qui . . ., de sententia deiecistis.*

d. Et protasis et apodosis plura enuntiata continent:

1. Protasis complectitur enuntiata eiusdem ordinis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

ad fam. VII 11, 2: *Quod si aut fit aut futurum putas, perfer istam militiam et permane.*

Forma a (b:A):

de leg. agr. II 16: *Quae cum, Quirites, exposuero, si falsa vobis videbuntur esse, sequar auctoritatem vestram, mutabo meam sententiam.*

Apodosis facit interrogationem:

Or. 173: *Quod si ita est — nec vero aliter exsistimo — quia ipsi suis sensibus non moventur, nihilne eis inane videtur? nihil inconditum? nihil curtum . . nihil redundans?*

Parenthesis inter partes protasis:

Phil. II 77: *Quam cum illa legeret flens — erat enim scripta amatorie, caput autem litterarum: sibi cum illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abiecisse illim atque in hanc transfudisse — cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit.*

Diversi ordinis:

de or. II 353: *Quos cum humare vellent sui neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscuisque sepeliendi fuisse.*

Forma a (b:A):

Lael. 84: *Quod cum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nec amicitiam neque ullam rem expetendam consequi possumus.*

Post relativum alterum relativum:

de leg. III 42: *Quod qui permovet, cum agi nihil potest, vim quaerit, cuius impunitatem amittit hac lege*;

Apodosis facit interrogationem:

Phil. V 29: *Qui si legatis paruerit Romamque redierit, num umquam perditis civibus vexillum quo concurrant defuturum putatis?*

In oratione obliqua:

acad. pr. 123: *quae cum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quae si stante terra coelum moveretur.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

ad fam. XI 26, 1: *A quibus cum discessi, etsi minimum mihi est in coena — quod tu unum ζήτημα Dioni philosopho posuisti — tamen quid potius faciam, priusquam me dormitum conferam, non reperio.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

p. Rabir. perd. 25: *Quod tu si audisses aut si per aetatem scire potuisses, nunquam profecto istam imaginem, quae domi posita pestem atque . . . attulisset, in rostra atque in contionem attulisses, nec tuas umquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem . . . videres.*

Forma a (b:A):

ad Att. IX 7 A., 2: *a quo si erit nobis rescriptum, statim cum sciemus, ad te scribemus et tibi fidem faciemus nos ea suadere, quae nobis videntur tuae dignitati, non Caesaris rationi, esse utilissima*; (Balbus et Oppius scribunt.).

2. Protasis complectitur enuntiata diversi ordinis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

de or. II 196: *quibus omnibus verbis, quae a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis sed etiam irridenda fuisset oratio mea.*

Post relativum alterum relativum:

Timae. c. 11 ex.: *In quibus qui tales creabuntur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur teneantque omnium animantium principatum vobisque iure et lege volentes pareant.*

Parenthesis inter protasin et apodosin:

ad fam. V 21, 2: *cui nisi invidisset is, quem tu nunquam amasti — me enim amabas — et ipse beatus esset et omnes boni.*

Diversi ordinis:

ad Att. I 19, 10: *in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam quod tibi, ut opinor, Panhormi Lucullus de suis historiis dixerat, se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse.*

Apodosis facit interrogationem:

p. Rosc. c. 45: *quod si facit, qua impudentia est, eumne testem improbabit, quem iudicem probarit?*

Et eiusdem et diversi ordinis:

de or. I 57: *Quibus ego, ut de his rebus . . . disserant, cum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi . . . . disputant, hic cum omni gravitate et iucunditate explicet.*

3. Protasis complectitur enuntiata et eiusdem et diversi ordinis:

Apodosis:

Eiusdem ordinis:

Tusc. disp. V 63: *quorum cum alterum vadem mortis accepisset, alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset ad horam mortis destinatam, „Utinam ego“ inquit, „tertius vobis amicus adscriberer!“*

Diversi ordinis:

in Cat. III 11: *Qui cum illi breviter constanterque respondissent per*

quem ad eum quotiensque venissent, quaesissentque ab eo nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus, tum ille subito scelere demens quanta conscientiae vis esset ostendit.

Forma a (b ; A):

Or. 140: *De quo cum mihi deinceps viderem esse dicendum, etsi movebant iam me illa, quae supra dixeram, tamen iis, quae sequuntur, perturbabar magis.*

In oratione obliqua:

acad. pr. 29: *quam rationem quoniam susciperent docereque vellent, quae visa accipi oporteret et quae repudiari, certe hoc ipsum, ex quo omne veri falsique iudicium esset, percipere eos debuisse.*

Et eiusdem et diversi ordinis:

ad. fam. I 9, 20: *Quorum iniqui sermones cum ad me per homines honestissimos perferrentur cumque Pompeius ita contendisset, ut nihil umquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam, Caesarque per litteras maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet, habui non temporum solum rationem meorum sed etiam naturae, Crassusque, ut quasi testata populo Romano esset nostra gratia, paene a meis laribus in provinciam est profectus.*

Forma a (b : A):

de re p. III 42: *Quae cum dixisset Laelius, etsi omnes, qui aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos, tamen praeter ceteros Scipio quasi quodam gaudio elatus, „Multas tu quidem" inquit, „Laeli, saepe causas ita defendisti, ut ego non modo* et q. s.

Constructiones, quae pro enuntiato relativo participium coniunctum aut ablativum absolutum praebent, in hunc conspectum non retulimus, quoniam structuram III illae non proprie exhibent.

Enuntiatum relativum est enuntiatum substantivum aut interrogatio obliqua.

1. Enuntiatum substantivum est:

Subiectum enuntiati primarii:

p. Cluent. 158: *qua nunc ut utar . . . non conceditur.*

Obiectum enuntiati primarii:

ad Q. fr. I 2, 6: *cuius tu in patrem quod fuisti asperior non reprehendo.*

Interponitur:

ad Q. fr. I 1, 17: *in quibus vereor etiam ne durior sim.*

Implicatur:

Phil. II 55: *quae senatus salva re publica ne fieri possent perfecerat.*

Tota comprehensio relativa subiungitur etiam eis, quae sequuntur:

Phil. VIII 25: *quibus ut ignoscatur si postulet, impudentissimus iudicetur.*

Forma a (b : A):

ad fam. XII 17, 1: *quam ut conserves, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo.*

Nec subiectum nec obiectum enuntiati primarii:

div. in Caecil. 72: *quos ut incolumes conservare, tueri . . . possimus omni ratione erit dimicandum.*

Interponitur:

p. Cluent. 187: *quod nemo Larinatium est qui nesciat.*

Forma b (a) A (b) A:

div. in Caecil. 32: *ex qua, etiam si cuperet praetor, tamen, ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas est.*

2. Interrogatio obliqua est:

Subiectum enuntiati primarii:

in Verr. l. V 1: *cui quemadmodum resistam multo mihi ante est, iudices, providendum.*

Forma a (b : A):

p. Quinct. 4: *quae quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit intellegi non potest.*

Interponitur:

de leg. II 38: *quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem.*

Implicatur:

acad. pr. 124: *quod intellegi quale sit vix potest.*

Tota comprehensio relativa subiungitur etiam eis, quae sequuntur:

de fin. V 16: *quod quoniam in quo sit magna dissensio est, Carneadia nobis adhibenda est divisio, qua noster Antiochus libenter uti solet*

Obiectum enuntiati primarii:

div. in Caecil. 22: *quae cuiusmodi in utroque nostrum sit paulo post commemorabo.*

Interponitur:

acad. pr. 63: *quorum vides quanta copia semper futura sit.*

Implicatur:

de re p. I 15: *quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari.*

Tota comprehensio relativa subiungitur etiam eis, quae sequuntur:

de nat. d. I 53: *Quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit non videtis, ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum.*

Ex forma a (b : A):

p. Quinct. 4: *quae quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intellegi non potest.*

exsistit forma: b (a) b : A:

part. or. 42: *quae, cum et factum constat et nomen, qualia sint vocatur in dubium* (interrog. est subiect. enunt. primarii).

aut ut in hoc loco:

de fin. II 117: *quae, nisi honestas natura plurimum valeat, cur non cadant in sapientem non est difficile defendere* (interrog. obl. est ob. enunt. primarii).

Quam frequenter usurpaverit Cicero structurae III maxime varias conformationes in unoquoque scriptorum suorum genere, facile videri potest ex sequenti tabella: (vide hanc tabellam in fine operis).

Pars II.

Variis trium constructionum formis perlustratis, restat ut explanemus quae inter eas intercedat ratio et quomodo ortae sint. — Sed cum de eadem re viri docti quaedam eaque in diversas partes disputarint, antequam nostram opinionem afferamus, necessarium ea exponere et diiudicare nobis videtur.

Quid viri docti censuerint invenitur primum in editionibus adnotatis, quae ad Ciceronem aut alios scriptores pertinent, deinde in institutionibus grammaticis linguae Latinae, denique in variis scriptis ad res grammaticas spectantibus.

Interpretes fere omnes breviter commemorant de his structuris ac ne id quidem de omnibus, sed solum de structura II; quod cum fit, rem modo notant, eius autem causam quaerere omittunt; itaque ex eis, quantum scimus, verba paulo plura fecerunt: R. Stuerenburgius (ad or. p. Arch. p. 25; Lips. 1832), Fr. Kritzius

(ad Sall. Cat. 11, 2; Lips. 1825), Raph. Kuehnerus (ad Cic. Tusc. d. I 84; Hannov. 1874), Osannus (Fr.) (ad Cic. de re p. I, 7; Gottingae 1847), C. F. W. Muellerus (in Seyfferti editione, ad Cic. Lael. 35; Leipzig 1876); alii, ut Otto Iahnius (ad Cic. Orat. 9; Berlin 1869 et ad Brut. 245; Berlin 1877), Gust. Sorofus (de or. II 278; Berlin 1882), K. W. Pideritus (ad Brut. 245; Leipzig 1875), Car. Halmius (ad or. p. Sest. 63; Lips. 1848), G. H. Moserus (ad I de re p. lib. 7; Francofurt. a. M. 1826), Gust. Tischerus (ad Tusc. d. I 84; Berlin 1878), R. I. Tyrellus et L. C. Purserus (ad epist. ad Att. VIII 9, 1; Dublin-London 1905), Fr. Hoffmannus (ad epist. ad Att. VIII 9 et ad ep. ad fam. X 12, 3; Berlin 1895), Fr. Richterus (ad or. in Cat. II 5; Leipzig 1887) cet., de structura II commemorant tantum; Pideritus vero et Halmius addunt eam attractionem esse.

Atque ii quidem libri grammatici, qui in usum scholarum conscripti sunt, fere nihil profecerunt, nam cum eorum scriptores, ingeniorum puerilium rationem haberent, constructiones, de quibus disputamus, vel omnes vel ex parte, observarunt quidem, idque perspicue exponere contenderunt, earum autem naturam et causam alii parum, alii omnino non explanarunt; idem dici potest de iis scriptis, quae „Lateinische Stilistik“ inscribi solent (praeter Naegelsbachii eiusdem generis scriptum); eorum enim auctores operam dant ut potius comparationem quandam linguae Latinae et Germanicae quam ut condicionem et indolem sermonis Latini describant.

Inde a L. Ramshornio (a. 1824) usque ad R. Kuehnerum (a. 1879) copiose quodammodo disputarunt viri docti qui conscripserunt linguae Latinae grammaticas, quae „Ausführliche Grammatik“ inscribi solent; item alii ut R. Klotzius, N. Madvigius, G. T. A. Kruegerus, Bachius in scriptis, quae ad res grammaticas peculiares spectant; denique ex omnibus et fere post omnes

Fr. Devantierus diligenter et accurate composuit commentatiunculam, in qua enucleate de tribus structuris disputavit.

Horum omnium quamquam plurimi aliqua ex parte aliter de eadem re iudicarunt, tamen iudiciorum similitudo nobis dat facultatem, ut parvis differentiis omissis omnes eorum opiniones in quasdam partes disponamus atque ad pauca capita vel normas reducamus.

Iam nunc sententiarum capita exponemus et breviter diiudicabimus.

Caput I.

§ 1. De iunctura relativa.

Consideremus primum opinionem eorum, qui putant, structuras, de quibus disputamus, a sermonis Latini consuetudine profectas esse, quae est in usu pronominis relativi pro demonstrativo et particula coordinativa (germanice: relativischer Anschluß). — Haec vel talis est sententia, quae invenitur apud: L. Ramshornium (p. 568 sqq.[1]), A. Grotefendum (p. 203 sq.), C. I. Grysarum (p. 202 sqq.), I. Ph. Krebsium (p. 510 sq.), C. G. Zumptium (p. 641 sqq.), Ferd. Schultzium (p. 574), Fr. Paetzoltium (Beitr. pg. XVI et de Lat. sermonis pron. rel. synt. prisca, pgg. 6, 12, 40 A.) Draegerum (p. 512), W. Gossravum (p. 422), Chr. C. Reisigium (p. 116). — Sed hi omnes nec plene, nec satis aperte iudicium suum exposuerunt. — Et quamquam eorum unusquisque eadem usus est explicandi ratione, tamen differentiae inter eos intercedunt; quas, antequam hanc primam opinionem accuratius inspiciam, breviter exponam.

---

[1]) Hic tantum paginas afferimus; de reliquis cf. praefationem.

Itaque Ramshornius (l. all.), cum de usu pronominis relativi pro demonstrativo disputat, exempla affert, in quibus pronomen relativum enuntiatum simplex coninguit, ut:

Res loquitur ipsa; quae semper valet plurimum;

aut comprehensionem relativam in qua structura III occurrit, ut:

Auditus semper patet; eius enim sensus etiam dormientes egemus; a quo cum sonus est acceptus, etiam a somno excitamur.

sed errat, cum eadem consuetudine orationis conformationes explicare vult, velut:

A te dictum est esse permulta, quae orator nisi a natura haberet, a magistro non multum adiuvaretur;

in qua pronomen relativum non demonstrativam, sed meram relativam vel correlativam vim habet; deinde desiderantur exempla structurae I et II, ut:

Cat. m. 13: *Cuius magister Leontinus Gorgias centum et septem complevit annos neque umquam in suo studio atque opere cessavit; qui, cum ex eo quaereretur . . ., inquit . .*; de off. II 89: *Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a quo cum quaereretur respondit*: in quibus simili ratione pronomen relativum vim demonstrativam praebet.

Grotefendus quidem etiam conformationis structurae II rationem habet, sed valde errat cum haec scribit: „Wenn das Pronomen relativum sowohl dem Nebensatze als dem Hauptsatze zugehört, so wird es im Lateinischen immer in denjenigen Casus gestellt, in welchem es der Nebensatz verlangt, falls dieser dem Hauptsatze nicht nachfolgt.“ — Ille igitur structuram I ne exsistere quidem in sermone Latino posse putat. — Idem non recte, cum dicit in structura II notionem relativi subaudiri tantum et non exprimi pronomine demonstrativo in enuntiato primario, cum eius casus nominativus aut accusativus esse debeat; qui error per G. T. A. Kruegerum usque

ad R. Kuehnerum manavit; denique iuncturae relativae, cum relativum vim correlativam habet, pariter atque Ramshornius, nullam praebet explicationem.

Grysarus de omnibus tribus structuris disputat (p. 202 sq.), sed in p. 204 sic pergit: „In den Relativsatz wird häufig ein anderer Nebensatz, der selbst wieder mit einem Relativ oder auch mit einer Konjunktion, namentlich *si* oder *cum*, beginnt, eingeflochten“; deinde inter alia haec affert exempla:

Cic. Phil. III 14: *quis est qui eum hostem non existimet, quem qui armis persequantur, conservatores rei publicae iudicantur?* de off. II 48: *magna est enim admiratio copiose sapienterque dicentis; quem qui audiunt, intellegere etiam et sapere plus quam ceteros arbitrantur;* de re p. I 15: *quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari.*

Ex quibus exemplis, ut nobis videtur, tertium tantum aliqua ex parte regulae respondet, nam in hoc: *quem qui armis persequantur* aut in hoc: *quem qui audiunt,* non duo, sed unum est enuntiatum.

Apud Krebsium nihil notabile.

Zumptius de omnibus tribus formis exponit; recte quidem, cum dicit, notionem pronominis relativi etiam in casu accusativo et nominativo in enuntiato primario structurae II demonstrativo exprimi posse; quod miror Kuehnerum et alios non animadvertisse. — Cum tres structuras relativa iunctura explicare vult, dicit — et recte quidem — enuntiatum quoddam relativum: quod cum audissem (p. 642) pro et cum hoc audissem poni; sed addere poterat: vel pro: et hoc (id) cum audissem; fortasse hoc dedit Devantiero ansam erroris, de quo infra disputabimus. — Deinde non ex omni parte recte, cum (p. 642) haec scribit: „Bei zweiteiligen Sätzen schließt sich das Pron. relativum grammatisch entweder an den

Haupt- oder Nachsatz oder an den Neben- oder Vordersatz", nam in structura III etiam est „zweiteiliger Satz", velut:

de fin. II 18: *quam si explicavisset, non tam haesitaret* et tamen relativum tantum constructionem prioris enuntiati sequi potest.

Quod Zumptius dixit, verum est solum de structuris I et II, in quibus notio relativi in utroque enuntiato occurrit. — Deinde paulo infra, cum accurate dicere vult, quando debeat pronomen relativum constructionem enuntiati secundarii sequi, haec addit: „Wenn aber das Demonstrativum vorangegangen ist und ein zweiteiliger Satz folgt, so schließt sich das Relativum an den vorangestellten, nicht an den Haupt- oder Folgesatz."

Quod non recte illum dixisse apparet ex tali exemplo:

in Verr. l. III 150: *cum tantum lucrum voluerit addere is, cui, si decumas emisset, idem non liceret* et q. s.

Zumptius poterat dicere, illud semper in structura III fieri, id est, cum notio relativi solum in enuntiato relativo occurrit.

Schultzius partim ut Ramshornius, partim ut Zumptius.

Paetzoltius id habet novum, quod eandem explicationem („relativischer Anschluß" — iuncturam relativam) historica ratione ab origine pronominis relativi ducit.

1. Itaque ille, cum originem relativi ab interrogativo profectam esse putat — id quod ex prisca consuetudine maxime colligit, qua enuntiatum vel pronomen relativum pronomini demonstrativo praemittitur (cf. dissert. quae inscribitur de Latini sermonis pron. rel. syntaxi prisca pg. 6) — opinatur primam vel nativam relativi pronominis formam fuisse eam, quae ad sequentem demonstrativum spectaret ut:

Quei ex hac lege ioudicaverit, is facito et q. s. (Tab. Bant.[1]) ap. Paetz. hoc exemplum in p. 7);

2. Ex hac nativa forma ortam esse formam relativam, quae notionem quandam praecedentem referret (op. all. p. 12):

Ex conformatione: *Quei . . . ioudicaverit, is facito,* cum demonstrativum praecessit, exstitit:

is facito, quei . . . ioudicaverit

vel

is, quei . . . ioudicaverit, facito.

Hoc modo (op. all. p. 40) ortam esse pronominis relativi facultatem coniungendi: primum in enuntiatis relativis ut: vir, qui hoc dixit, abiit, deinde in eis enuntiatis, in quibus pro relativo particula quaedam subiunctiva poni posset, ut: Caesar exploratores misit, qui viderent . . .

3. Denique „pro subtilitate atque industria Romanorum animis insita, quae necessariam rerum consequentiam maxime sectaretur" (p. 40) sermonem Latinum non solum unam sententiam, „sed etiam ipsas periodos quamvis graviore interpunctione distinctas relative" (p. 40) coniungere solitum esse. Haec relativa coniunctio vel iunctura, de qua Paetzoltius dicit, idem est ac Germanicum „relativischer Anschluß"; quod ex exemplis, a P. ex lingua Latina prisca allatis (pg. 41 sqq.) satis aperte apparet.

Eandem exposuit P. opinionem in commentatiuncula quae inscribitur: Beiträge zur . . . . (cf. praefationem) pg. X et XVI.

Ex praecedentibus arcte ad nostrum propositum hoc tantum spectat: formas structurarum II et III nec non structurae I (quamquam P. huius structurae exempla non affert), explicari iunctura relativa; ac ne iniuriam illi faciamus, animadvertendum est, eum tantum de illis

---

[1]) Mommsen: d. unterital. Dialekte, pag. 149 et C.I.L. vol. I 197.

exemplis disputare, in quibus pronomen relativum demonstrativam vim habet; in qua re nihil est quod reprehendamus; quantum de tribus structuris dixit, recte, sed ex parte tantum eas explicavit.

Draegerus idem atque Paetzoltius.

Gossravus neglegenter et perperam rem tractavit; faciamus ipsum loquentem: „Das Relativum steht zum „engeren Anschlusse der Sätze noch (antea de iunctura „relativa enuntiati relativi dixerat; his verbis ad com- „prehensionem relativam transiit) neben Konjunktionen, „besonders denen, welche vom Relativ abstammen, und „dann stets vor demselben; so qui cum, qui quoniam, „cet.“ (p. 422); quae dicta nullum exemplum sequitur; colligi tantum potest, eum de structuris II et III disputare; deinde paulo infra sic pergit: „Das Relativum „mit seinem Satze wird vorgeschoben, und es können „dann zwei Relative bei einander stehen, ut:

„Id solum bonum est, quo qui potiatur, necesse est „beatus sit.“

Quo loco ita dicit, tamquam si in enuntiato *quo qui potiatur*, partes quae sunt: *quo* et *qui potiatur* disiugi possent nec anteponendae essent.

Porro, cum paulo post ita pergit: „Mit dem Relativ „läßt sich eine neue Periode anschließen, auch wenn es „zum untergeordneten Satze gehört: „Epicurus est non „satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appel- „lantur“, nihil novi exponit.

Reisigius tantum de structura III commemorat, id autem non de omnibus eius formis, sed tantum de eis, in quibus post relativum particula condicionalis quaedam ponitur.

Differentiis expositis, iam videamus, quae sit haec prima opinio ipsa aut quomodo viri docti illam professi structuras I, II et III explanare velint.

Nemo nescit saepe pronomen relativum pro pronomine demonstrativo et particula coordinativa usurpari posse, velut:

Res loquitur ipsa; quae plurimum valet. Ubi quae pro et ea vel ea autem dicitur. Id quod hic occurrit, potest etiam fieri, cum non enuntiatum unum, sed complexus enuntiatorum simili ratione pronomine relativo adnectitur:

Cat. m. 13: *Cuius magister Leontinus Gorgias centum et septem complevit annos neque umquam in suo studio atque opere cessavit; qui, cum ex eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita, „Nihil habeo“ inquit, „quod accusem senectutem.“* — (Structura I);

ubi pro *qui* dici potest: atque is vel is igitur.

Tusc. d. II 60: *Nam cum ex renibus laboraret, ipso in eiulatu clamitabat, falsa esse illa, quae antea de dolore ipse sensisset; quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret quaenam ratio eum de sententia deduxisset, respondit:* (Structura II);

in quo loco pro quem dici potest: atque eum.

De div. I 96: *Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum rem publicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Quas cum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitur religione.* (Structura III);

pro quas dici potest atque eas.

Hoc modo opinantur illi ex usu pronominis relativi pro demonstrativo structuras I, II et III exstitisse.

Ex omnibus viris doctis hanc sententiam, quantum scimus, unus Devantierus plene et aperte oppugnare temptavit; de qua (op. all. p. 11 sq.) haec scribit: „Man „hat sich hier das Satzgefüge zunächst nicht relativisch, „sondern mit einem Demonstrativum zu denken, also: „cum ex eo quaereretur, inquit“ sequuntur alia similia; porro ita pergit: „Durch Umwandelung des Demon-

„strativums in das Relativum, wobei letzteres an die „Spitze des Satzes tritt, wird Verbindung, Anschluß, „Anknüpfung an einen voraufgehenden Begriff hergestellt: „ex quo cum ...... Diese Anschauung hat sehr viel „für sich, sie ist so klar und für alle Fälle so leicht „anwendbar, daß sie sich für die mittleren Klassen „durchaus empfiehlt. — Ob sie nach allen Seiten „befriedigt, das ist eine andere Frage, die weiter unten „zur Besprechung kommen wird."

Deinde, cum de eadem re paulo infra (p. 16) disputat, haec scribit:

„Und nicht anders ist es (verba fecerat antea contra „aliam quandam opinionem), wenn die doppelte Abhängig„keit (quod peculiare est structuris II et III) als durch „relativen Anschluß eines ursprünglichen demonstra„tiven Satzgefüges entstanden angesehen wird. — Dann „ist zwar nicht der Casus umzudenken, aber man muß „aus dem Pronomen, welches von vornherein als Demon„strativ gedacht ist: cum ex eo quaereretur, inquit, „nachträglich ein Relativum machen und eine Umstel„lung der Konjunktion vorzunehmen, um zu dem ex „quo cum zu gelangen." Porro recte dicit auctor hunc motum animi (i. e. „Rückwärtsbewegung des Denkens" — „Umstellung der Konjunktion") a dicendo vel etiam a scribendo maxime abhorrere — atque in universum accipiendum esse, mentem fere semper progredi quodam modo in cogitando („als Regel wird man doch dem „Wesen des Denkens entsprechend einen gerade verlaufenden Vorgang annehmen müssen").

Ex his Devantieri dictis, facile intellegi potest totam eius argumentationem a forma cum ex eo (i. e. cum pronomine demonstrativo postposito) profectam esse. — Sed haec argumentandi ratio, tam acute instituta et exposita, ad eos, quos oppugnat, omnino non pertinet; nam non haec est summa eorum sententiae; caput eorum

opinionis est, structuras I, II et III ortas esse ex consuetudine qua pronomen relativum pro demonstrativo et particula coordinativa usurpatur: formam quem cum rogaret, respondit — profectam esse ex: et eum cum rogaret, respondit. — Profecto dici Latine potest etiam: et cum eum rogaret cet. (i. e. forma, cum demonstrativum post particulam subiunctivam ponitur); sed cum forma quoque quae est et eum cum et q. s. exsistat et cum etiam ex parte ii, quos Devantierus oppugnat, hoc aperte dicant, tota illius argumentatio, quamquam verissima per se, nihil profecit. — Itaque poterat Devantierus hanc rem plane expressam apud M. Meiringium (Lat. Gramm. p. 417), quem ipsum ille affert (op. all. p. 11) et oppugnat, invenire: „Sehr gebräuchlich ist die „Anknüpfung durch qui statt et is, is autem etc.“ et postquam de iunctura relativa, qua unum coniungitur enuntiatum, dicit, ad comprehensionem relativam transit, in qua idem fieri posse demonstrat: „bei Nebensätzen, „welche mit einer Konjunktion oder korrelativischem Re- „lativ anfangen, z. B. in bezug auf einen erwähnten „Gegner, füge ich hinzu: quem cum vicissem ab omnibus „laudatus sum, statt: et eum cum vicissem, eum autem „cum vicissem cet.“

Nulla demonstrativi transpositione opus esse elucet ex locis ut:

de or. III 177: *sed ea nos cum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus*; in Verr. l. I, 100: *Atque hoc si in posterum edixisses, minus esset nefarium;* in Verr. l. II 33: *Idque cum faciebat, nemo dubitabat, quin* et q. s.

Item: in Pis. 84 (*eisque cum*); Phil. V 55 (*idque si*); et permulta alia similia.

Sed cum transpositio quidem relativi nullam faciat difficultatem, est aliud quod in hac prima explicatione offendit; idque facile apparet cum eam adhibere tem-

ptamus ad constructionum formas explanandas, in quibus relativum meram vim relativam habet, ut:

de re p. I, 7: *Is enim fueram, cui cum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris . . . . ., non dubitaverim me gravissimis tempestatibus . . . obvium ferre* et q. s.

ad fam. VI 6, 5: *ea me suasisse Pompeio quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga et princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet.*

de fin. I 26: *Epicurus est non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur.*

Primo conspectu videri potest tales conformationes nullo modo usu relativi pro demonstrativo et particula coordinativa explicari posse, nam pro *cui* in primo exemplo non poni potest et ei vel ei autem, neque in secundo pro *quibus*, et eis etc. neve in tertio pro *quas*, et eas etc. Sane dici poterat pro *cui cum liceret* —: ut, mihi cum liceret et pro *quibus ille si paruisset* —: ut, si ille iis paruisset; id est, pro pronomine relativo poni poterat demonstrativum vel personale, sed non cum particula coordinativa, verum cum particula subiunctiva atque id longe aliud est atque ii viri docti putarunt; est enim eadem vis relativi atque in enuntiatis relativis subiunctivis ut:

Caesar exploratores misit, qui viderent . . . id est ut ii viderent . . .

In tertio autem exemplo omnino non potest pro relativo *quas* demonstrativum cum quadam particula poni.

Unde apparet hanc explicationem non pertinere ad exempla in quibus pronomen relativum meram vim relativam habet.

Atque cum talia exempla in unoquoque genere trium constructionum occurrunt elucet, illam non omnes trium constructionum conformationes explanare posse. — Quare hanc explicationem, quia angustior est, veram habere non

possumus. — Sed tamen est in ea aliquid veri, quod viros doctos in errorem induxit; id est, quod ea iuncturae relativae consuetudo in permultas trium structurarum conformationes quadrat.

De reliquis, quae nos in hac prima explicatione offenderunt, iam diximus.

§ 2. De attractione.

Pauca dicam etiam de eorum opinione, qui putant in structura II attractionem esse; hoc arbitrantur inter alios: Fr. Kritzius (ad Sall. Cat. cap. 11 p 2; Lipsiae 1825); Fr. Guil. Otto (ad Cic. de fin. II 6; Lips. 1831); Raph. Kuehnerus (ad Cic. Tusc. de I 84; Hannov. 1874); N. Madvigius (Epist. crit. ad. Orell. pg. 106; Hauniae 1828). —

Ex quibus unus Madvigius plenius disserit; qui cum de structura II disputat, quae occurrit in

orat. in Verr. l. V 45: *qui si quo publice proficisceris, praesidii et vecturae causa sumptu publico navigia praebentur;* (poterat dici: cui, si quo . . .),

haec (l. all.) scribit: „Tu vulgatam lectionem (i. e. „*qui si* . . .) soloecam iudicas; equidem neque soloecismum „neque anacoluthon hic esse puto sed attractionis quod„dam genus non infrequens, ex quo, cum pronomini rela„tivo duae subiiciuntur, id interdum ad secundariam prius „positam accommodatur, cum proprie ad primariam „remotiorem accommodari deberet, et ex eo in secundaria „demonstrativum (aut quod idem valet, personale) intellegi.“

Scilicet in comprehensione quadam ut:
qui, cum eum multi impedirent, restitit (structura I), in qua relativum ad verbum primarium accommodatur, quocum severa logicae ratione coniungitur, potest fieri, ut relativum a verbo primario (restitit) disiunctum

attrahatur a verbo secundario atque ita ad illud accommodetur:
quem cum multi impedirent, restitit. (structura II).

Ita sane; at non recte et certe ambigue quodam modo Madvigius, cum de conformatione: quem cum multi et q. s. haec dicit: „id (i. e. pron. rel.) interdum ad secundariam accommodatur, cum proprie ad primariam remotiorem accommodari deberet.“ De qua re non alienum a proposito ducimus hoc loco pauca commemorare atque ea ad opinionem Madvigii diiudicandam adhibere.

Hermannus[1]) (G.) atque ii, qui cum eo faciebant, ut inanitati cuidam mederent, quae in studiis grammaticis aetate eorum versaretur, atque ut fundamentum firmum eis studiis ponerent, categorias Kantianas pro norma duxerunt, quibus res ad linguam vel ad dicendum pertinentes diiudicarent. Quod non recte eos fecisse probarunt grammatici recentiores. (cf. H. Ziemer: Junggramm. Streifzüge i. Gebiete d. Synt. Colberg 1883, praef. pg. III et pg. 2.) Itaque apparuit non solum rationibus logicis, sed etiam iis, quae psychologicae dicuntur, res grammaticas regi atque notionem vocum grammaticae et logicae non eandem comprehensionem habere. — Saepe enim psychologica ratione natae sunt orationis conformationes, quae non minus recte dicta et ex indole et natura linguae profecta haberi debent quam illae, quae ratione logica creantur. — Quod praeter alios multos huius aetatis Hermannus Paulus demonstravit; qui (Princip. d. Sprachgesch. pg. 33; Halle 1886) haec scribit: „Grammatik und Logik treffen zunächst deshalb „nicht zusammen, weil die Ausbildung und Anwen„dung der Sprache nicht durch streng logisches

[1]) Non nescimus Madvigium cum Hermanno in universum non fecisse.

„Denken vor sich geht, sondern durch die natürliche „ungeschulte Bewegung der Vorstellungsmassen, die je „nach Begabung und Ausbildung mehr oder weniger „logischen Gesetzen folgt oder nicht folgt.“

Sed fere eadem, quae vir doctissimus generaliter profitetur, speciatim dicebat iam anno 1847 F. Kleinschmidtius (in progr., quod inscribitur: Quaest. de attractione quam dicunt, pg. 4; Torgau); cum errores eorum monstrat, qui de attractione ante ipsum disputarunt, cum alia, tum haec dicit: „Alterum, quod cadit in hanc „quaestionem, ut mihi videtur, gravissimum, eo continetur, „quod multi terminos, quibus notionum formationes singu- „lares in logica quae dicitur comprehenduntur, induxe- „runt in grammaticam; aut sententiam primariam „posuerunt in fronte, cui cetera omnia adaptari posse „opinabantur. Qui cum in explicandis locis praeter leges „cogitandi nihil inspicerent, mihi videntur non satis „perspexisse, qui spiret in linguis animus, nec subit „mirari quod in structuris verborum audacioribus neglec- „tam cogitandi normam viderunt, de quibus recte si „omnia perpendissent, aliter iudicavissent.“

Quae quoniam sunt ita, elucet pronomen relativum aeque „proprie“ accommodari in conformatione:

quem cum multi impedirent, restitit

atque:

qui, cum eum multi impedirent, restitit.

Interest tantum, quod in prima relativum ad rationem psychologicam quae dicitur, in altera ad severam logicae rationem accommodatur.

Quoniam notio relativi utriusque verbi communis est, et primarii, et secundarii, exsistit contentio quaedam atque saepius, cum quodam animi motu primum illius relatio ad verbum secundarium in mentem venit, tum sequitur relativum constructionem verbi secundarii et fit structura II

(quem cum cet.); si autem nexus logicus notionis relativi et verbi primarii non disturbatur, fit structura I (qui, cum eum cet.).

Et quod ad usum Tullianum pertinet, magis etiam contra Madvigium dici potest, scilicet, non structuram I (qui, cum eum cet.) sed structuram II (quem cum cet.) propriam esse, nam illam 258^{ies}, hanc 566^{ies} apud Ciceronem invenimus.

Itaque etiam conformationis structurae II usu Tulliano confirmatur nova recentiorum grammaticorum ratio, quae docet, saepe norma psychologica linguam regi.

Ceterum cum Madvigio facimus et putamus in structura II „quoddam attractionis[1]) genus" esse. Sed hoc tantum ex parte hanc constructionem explicat. De reliquis infra dicemus.

§ 3. De implicatione.

Permulti sunt, qui putant in conformationibus structurae II, ut:

quem cum multi impedirent, restitit

et structurae III, ut:

quam si explicavisset, non tam haesitaret

implicationem („Verschränkung") esse.

---

[1]) De attractione haec maxime contulimus scripta:

G. T. A. Krüger: Unters. a. d. Gebiete d. lat. Sprachl.; III. Heft; Braunschweig 1827; G. Hermanni Franc. Vigerus; app. p. 866 sqq. Lips. 1834; F. Kleinschmidt: Quaest. de attractione quam dicunt posticula prima, Torgau 1847; Schmidt: Von den Haupterscheinungen der gramm. Attrakt., ihrem Zwecke u. ihrer Bedeutung in der griech., französ. u. d. deutsch. Sprache; Progr. Quedlinburg 1858; H. Steinthal: Assimilation u. Attraktion (Zeitschr. f. Völkerpsychol. u. Sprachw. I Bd. pg. 93—179, 1860); R. Foerster: De attractione enuntiationum relativarum cet.; Diss. Berol. 1868; Fr. Dietrich: De attractionis pronominis relativi usu Sophocleo; Diss. Darmstadt 1873; Bach: De attractione quae dicitur inversa apud scriptor. Lat. Progr. Straßburg 1888.

Auctor huius opinionis, quantum scimus, est G. T. A. Kruegerus (Untersuch. a. dem Geb. etc. pg. 236—42 et Gramm. d. lat. Spr., Hannover 1842, pg. 742 sqq.); ab illo permulti eam acceperunt atque acceptam fere omnino non mutaverunt neque auxerunt; quare quid inter eos intersit monstrare, non necessarium. Itaque praeter alios faciunt cum Kruegero: F. Handius (Lehrbuch des lat. Stils, Jena 1833); R. Kuehnerus (Ausführl. Gramm. d. lat. Spr. II Bd. II Abt. p. 867 sqq.); H. Menge (Repet. d. lat. Synt. u. Stilist.; Wolfenbüttel 1905) et plurimae institutiones grammaticae, quae in usum scholarum scriptae minus copiose de illis structuris dicunt et nihil novi afferunt.

Ac videamus qua ratione Kruegerus et qui cum eo sentiunt, structuras II et III intellegi iubeant.

In comprehensione quadam velut:

qui, cum multi eum impedirent, restitit

cum relativum a verbo secundario attrahitur exsistit haec forma:

quem cum multi impedirent, restitit;

quod cum fit, notio relativi in enuntiato primario, si eius casus debeat esse nominativus aut accusativus, non exprimitur, velut in exemplo supra allato; si alius debeat esse casus quam nominativus aut accusativus, exprimitur, velut:

de div. II 20: *Qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset quod proxima nocte corruit.*

Hac construendi ratione duo enuntiata implicantur et conflantur eo, quod pronomen relativum forma quidem enuntiato secundario, sensu autem enuntiato primario attribuitur: „Das Relativ gehört also zu beiden Sätzen, „zu dem einen der Form nach, zu dem anderen dem „Sinne nach, und eben dadurch wird der Zwischensatz „(i. e. cum multi eum impedirent) mit seinem Haupt„satze (i. e. qui — restitit) enger verschränkt." (Krueger, Gramm. p. 744.)

Scilicet in conformatione

quem cum impedirent, restitit

pronom. relativum quem duabus vicibus eodem tempore fungitur:

1. obiecti enuntiati secundarii,
2. subiecti enuntiati primarii;

quae duae vices etsi etiam disiuncte exprimi possint conformatione:

qui, cum eum cet.,

tamen exprimuntur saepe, implicatione et conflatione admissa, hac forma:

quem cum cet. (nam profecto hoc est intellegendumex Kruegeri verbis: „Verschränkung“ et „Verschmelzung“ (Untersuch. p. 237);

qua forma duo enuntiata arctissime eo pronomine quem coniunguntur, nam in pronomine quem duae diversae partes utriusque enuntiati conflantur: qui (subiectum enuntiati primarii) et eum (obiectum enuntiati secundarii): quem = qui eum. Cum hoc occurrit, si tamen in enuntiato primario notio relativi (quem) interdum demonstrativo exprimitur, hoc fit modo perspicuitatis causa, idque cum alius debeat esse casus demonstrativi ac nominativus aut accusativus. — Cum haec omnia et praeterea hoc etiam consideramus, pronomen relativum quem non enuntiatum secundarium sed primarium cum praecedentibus coniungere, apparet, ut Kruegerus opinatur, pronomen quem idem esse relativum qui ex forma qui, cum eum, sed implicatione et conflatione paulo mutatum.

Quae res cum subtilis sit, liceat nobis ipsum Kruegerum loquentem faciamus; ille, postquam (Untersuch. cet. p. 237 sqq.) de structura II disputat, in qua nihil dicit esse mirum, cum notio relativi in utroque enuntiato eundem casum praebet (ex. gr.: animum rege, qui nisi paret, imperat), sic pergit: „Allein der lateinische Sprachgebrauch „ging in dem Streben nach Verschränkung und Ver-

„schmelzung der Sätze weiter und gestattete diese „Wortfügung (i. e. Structuram II) auch da, wo der durch „das Relativ bezeichnete Satzteil in einem ganz anderen „Casus in dem Vordersatze (i. e. enuntiato secundario) „als in dem Nachsatze (i. e. enuntiato primario) erscheinen „müßte; und ungeachtet nun vermittelst des relativen „Pronomens eigentlich nicht zunächst der Vordersatz, „sondern der Nachsatz sich an das Vorhergehende „anknüpfen sollte: so liess er doch dieses Pronomen „sich nur nach dem Bedürfnis des Vordersatzes richten, „knüpfte also eigentlich den Vordersatz unmittelbar an „das Vorhergehende und gestattete, in dem Nebensatze „den nötigen Casus aus demselben zu supplieren."

Sequuntur plura exempla structurae II i. e. formae: quem cum impedirent, restitit; deinde pergit ita:

„Konstruktionen dieser Art sind es aber, welche wir „mit Recht glauben zu der hier betrachteten attraktions- „artigen Verschränkung zweier Sätze zählen zu dürfen, „bei der aus dem Hauptsatze ein Satzteil in den Neben- „satz gezogen wird, welcher Satzteil aber selbst wieder, „wenn auch in anderer Form, in den Hauptsatz hinein- „zudenken ist. — Denn inwiefern nicht der Vordersatz, „sondern eigentlich der Nachsatz an das Vorhergehende „sich anschließen sollte, insofern gehört eigentlich „diesem das Relativum an, welches er nun gewisser- „maßen an den Vordersatz abgegeben hat; und es ist „klar, wie eben dadurch Vorder- und Nachsatz der „Einheit sich nähern, daß der erste in sich aufgenommen „hat, was eigentlich dem letzten gehört."

Ex verbis quae sunt: „gehört eigentlich" et „gewissermaßen" intellegitur, nisi fallimur, Kruegerum putare, relativum quem (ex exemplo: quem cum impedirent, restitit), quamquam sequitur constructionem enuntiati secundarii, tamen re vera partem esse enuntiati primarii, modo attractione et conflatione paulo mutatam.

Haec de structura II. — Ab ea proficiscens declarat eandem fieri implicationem in structura III, cum haec dicit:

„Ja, dieses Streben nach Verschränkung der Sätze blieb hierbei nicht stehen. — Sie erscheint nicht bloß dann, wenn beide Sätze einen gemeinschaftlichen Satzteil haben, der, durch das relative Pronomen dargestellt, sich dem Vordersatze statt dem Nebensatze anschließt; sondern sie gestaltete sich im allgemeinen auf die Weise, daß überhaupt der Vordersatz anstatt des Nebensatzes vermittelst des Relatives unmittelbar an das Vorhergehende sich anschloß; so daß sie also auch dann stattfindet, wenn der durch das Pronomen relativum ausgedrückte Satzteil ganz allein in den Vordersatz hineingehört." (Untersuch. pg. 241 sq.)

Iam vidimus in structura II attractionem esse: quem cum impedirent, restitit; etiam Kruegerus attractionem admisit; sed non in eo acquievit, nam cum nimis magni momenti faceret rationem logicam, quae inest in structura I: qui, cum eum impedirent, restitit, cumque putaret enuntiatum primarium, et non secundarium, cum antecedentibus coniungendum esse, et fortasse cum videret demonstrativum ex forma qui, cum eum cet. omitti ex enuntiato secundario structurae II: quem cum, opinatus est, pronomen relativum quem (ex: quem cum cet.), quamquam constructionem enuntiati secundarii sequitur, tamen attribuendum esse primario, cuius proprie faciat partem; quam rem appellat ille: „attractionsartige Verschränkung "(op. all. p. 241).

Kruegerum erasse cum rationem logicam nimis faceret, intellegi potest iam ex eis, quae exposuimus, cum de attractionis opinione diximus. Non intellegimus cur tantum enuntiatum primarium cum antecedentibus coniungendum sit (cf. supra: „Denn inwiefern nicht der Vordersatz, sondern der Nachsatz" et q. s.); nam utrumque fieri potest: si ratio logica vincit,

enuntiatum primarium proxime cum praecedentibus coniungitur (qui, cum cet.), sin psychologica, enuntiatum secundarium (quem cum cet.); quod ultimum eo facilius et saepius factum est (Structura I 258ies, structura II 566ies apud Ciceronem occurrit), quo in sermone Latino similis et usitatissima iam reperiebatur conformatio structurae III (apud Ciceronem 1244er inveni): *quam si explicavisset, non tantum haesitaret.*

Nec illud alterum verum putamus, quo Kruegerus inductus est, ut implicationem et conflationem in structura II esse iuberet, scilicet, relativum tantum forma enuntiato secundario attribuendum; quod fortasse ille censuit (Gramm. d. lat. Spr. p. 744), cum attractionis definitionem ab Hermanno universe datam (Viger. app. pp. 866 et 889) nimis ad verbum intellegeret aut cum aliud quoddam attractionis genus consideraret, ut:

Iusta gloria, qui est fructus verae virtutis honestissimus;

Thebae, quod est caput Boeotiae;

aut:

eorum quorum consuesti.

Sed non idem attractionis genus in structura II, nam notio vocabuli quod attrahitur necessario et separatim ad utrumque enuntiatum vel verbum spectat; qua de causa relativum quem (ex: quem cum cet.), non solum forma, sed etiam sensu enuntiato secundario attribuendum est.

Quae omnia ut apertiora fiant conferantur hi loci, in quibus eadem structura II occurrit, sed pro relativo nomen substantivum usurpatur:

ad Att. VIII 10: *Dionysius cum ad me praeter opinionem meam venisset, locutus sum cum eo liberalissime;*

ad fam. XV 14, 1: *M. Fadium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaestum;*

cum his:

p. Cluent. 33: *quae cum se esse respondisset, ab ea petivit, ut* et q. s.

p. Rosc. A. 33: *quos quia servare per compositionem volebat, ipse ab iis interemptus est.*

Possumusne dicere verba *Dionysius* et *M. Fadium* non partem esse enuntiati secundarii cui et forma et sensu attribuuntur?

Ego quidem intellegere non possum vocabula *M. Fadium* partem esse enuntiati primarrii aut et primarii et secundarii; immo, illa verba partem faciunt enuntiati secundarii et nihil cum enuntiato primario commune habent nisi notionem suam, quae in eo pronomine demonstrativo exprimitur.

Est igitur in huius generis exemplis solum attractio, quae aliquo motu animi rationem logicam disturbat.

Deinde non praetereudum est, notionem relativi secundum easdem leges demonstrativo exprimi et in structura I et in II, quoniam illa separatim ad utrumque enuntiatum vel verbum spectat.

Addam denique argumentum, quod Devantierus affert (op. all. p. 16), cum psychologica ratione hanc implicationis opinionem diiudicat:

„Hiernach (i. e. secundum hanc opinionem) ist das „Satzgefüge zuerst als Relativsatz mit einem Zwischensatz „zu denken: qui, cum ex eo quaereretur, inquit und „dann die Einordnung des Relativums in den ursprüng„lichen Zwischensatz vorzunehmen: ex quo cum .... „Die beiden Akte stehen aber in dem Verhältnisse zu„einander, daß der zweite eine Rückwärtsbewegung „des Denkens gegenüber dem ersten bedeutet. — Man „braucht gar nicht einmal anzunehmen, daß das ganze „Satzgefüge bis zu Ende gedacht und dann erst die „Umwandelung des Pronomens vorgenommen wird; wenn „man auch nur bis zu einem: qui, cum ex eo gekommen

„ist und daraus ein ex quo cum macht, ist die Rück-„wärtsbewegung schon da.“

Deinde paulo infra: „als Regel wird man doch dem „Wesen des Denkens entsprechend einen gerade ver-„laufenden Vorgang annehmen müssen“.

Cum Devantiero assentimur, putamus psychologicam quoque rationem Kruegeri explicationi adversari.

Cum ad structuram III transit, opinatur Kruegerus eandem occurrere implicationem in locis ut:

Epicurus non satis politus est iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur;

or. 126: *dixisti esse permulta, quae orator a natura nisi haberet, a magistro non multum adiuvaretur;*

Quam si explicavisset, non tantum haesitaret.

Haec explicatio mira videtur; nam cum implicationem dicimus, necessario duae partes esse debent, quae in unam implicari vel conflari possint, sed in exemplis supra allatis quae sit pars implicata aut quae sint partes, quae implicari vel conflari possint nos quidem perspicere nequimus.

Sane inveniuntur structurae III exempla, in quibus pronomen relativum a verbo secundario diiungi possit ut:

or. 126: *dixisti esse permulta, quae orator a natura nisi haberet, a magistro non multum adiuvaretur;*

in quo dici Latine potest etiam:

dixisti esse permulta, in quibus, nisi orator ea a natura haberet, a magistro et q. s.;

aut potius hic locus:

de fin. III 9: (puer) *infici debet iis artibus, quas si . . . combiberit, ad maiora veniet paratior;*

pro quo dici potest: . . . iis artibus, quibus, si eas . . . combiberit, ad maiora veniet paratior.

Quod sane potest, sed:

1. Hoc fortuito fit et tantum in quibusdam exemplis;

2. Sententia magnopere mutatur.

Itaque in structura III aliter res se habet atque in structura II:

quem cum impedirent, restitit

in qua quia notio relativi in utroque enuntiato occurrit, facile et recte et sine sententiae mutatione relativum a verbo secundario diiungi potest:

qui, cum eum impedirent, restitit.

Sed de eadem re alias plura exponam.

Ut iam diximus hanc implicationis opinionem R. Kuehnerus, Menge et permulti alii hodie profitentur.

§ 4. De reliquis opinionibus.

Eae explicationes de quibus hucusque tractavimus a plurimis viris doctis acceptae sunt. — Sed fuerunt nonnulli iique pauci qui aliam ingrederentur explicandi viam. — Itaque I. H. Schmalzius de structura III ita opinatur: „Mit einem Relativsatz kann noch ein zweiter „Relativsatz, ein Konjunktional- oder Fragesatz . . . in „Verbindung treten; z. B. contra quem qui exercitus „ducunt cet.; quae quia non vides cet.“ (Handb. d. klass. Altert. J. Müller, II, 2 p. 469).

Secundum eius iudicium enuntiatum velut:

contra quem qui exercitum ducunt

constat ex duobus enuntiatis relativis; quorum cum alterum scilicet est qui exercitum ducunt, restat ut alterum verbis contra quem contineatur; fortasse id intellegi potest, cum rationem consideramus, qua ille enuntiata relativa in universum explicat: „Die Entstehung des Relativsatzes: Ter. Phorm. 947: *argentum, quod habes, condonamus te* haben wir uns so zu denken: argentum, quod argentum? habes! condonamus te, — d. h. der Sprechende beginnt: argentum, er wird unterbrochen: quod argentum? antwortet darauf: habes!

und führt dann den mit argentum begonnenen Satz durch condonamus te zu Ende". — (ibid. p. 369).

Sed nec ita hanc explicationem plene perspicere possumus atque eius auctor videtur nobis tantum externam rei partem considerasse.

Naegelsbachius-Muellerus[1] (Lat. Stil.[9] p. 670 sqq.) de structura III dicens animadvertit enuntiatum secundarium velut: *quae orator a natura nisi haberet* cet. et pronomen relativum et particulam subiunctivam continere; quod appellat ille contentionem quandam („Konkurrenz"); deinde quaerens qua de causa hoc idem in sermone Germanico fieri non possit haec rectissime scribit: „Weil in unserer Sprache von den beiden in diesen „Fügungen (i. e. Structura III) konkurrierenden Redeteilen „jeder für sich den ersten Platz im Satze gebieterisch „in Anspruch nimmt, und weder das erste Relativ dem „zweiten, noch das Relativ der Konjunktion oder dem „Fragewort nachgibt, so wenig als umgekehrt."

Qua ipsa explicatione vir doctus sane non dixit aperte, sed significavit certe condicionem, qua in sermone Latino structura III fieri potuerit, i. e. structuram III exsistere potuisse, quia particula subiunctiva, interrogativa, aut relativum non impediret quin alterum relativum in eodem enuntiato anteponeretur; quod est magni momenti.

Deinde ad structuram II transiens (p. 674) dicit eam ortam esse ex eadam consuetudine atque structura III; commemorat etiam conformationem structurae I sed non monstrat quae ratio inter eas intercedat.

J. N. Madvigius ad veritatem proxime accedit, cum haec scribit: „Zu einem relativen Satze kann wieder „ein Nebensatz gefügt werden, in Beziehung auf welchen

---

[1]) Omnium optime Naegelsbachius monstravit quomodo tres structurae Germanice transferendae sint et quae ratio, quod ad eas pertinet, inter sermonem Latinum et Germanicum intercedat (op. all. p. 670 sqq.).

„jener der Hauptsatz ist, z. B. ut ignava animalia, quae „iacent torpentque, si cibum iis suggeras. — Wenn dann „der durch das Relativ bezeichnete Begriff auch zum „Nebensatz als Demonstrativ gehört (wie in diesem „Beispiele iis), so kann im Lateinischen das Relativ mit „dem Nebensatze, der dann vorangestellt wird, verbunden „werden und sich im Casus nach ihm richten (so daß „im Hauptsatze ein Demonstrativ aus dem Nebensatze „zu ergänzen ist): Ut ignava animalia, quibus si cibum „suggeras, iacent torpentque. (Tac. Hist. III 36; gleich„wie man sagen kann: Ignavis animalibus si cibum „suggeras, iacent torpentque.)“ (Lat. Sprachl. Braun„schweig 1857. p. 414).

Quamquam non plene de structura II sed, quoad dixit, recte quidem; deinde commemorat vir doctus structurae II persimilem conformationem etiam, cum nomen substantivum occurrit, fieri posse, velut: Ignavis animalibus si et q. s. cf. supra.

Poterat praeter alia addere notionem relativi non modo subaudiri („ergänzen“) sed etiam demontrativo vel personali in enuntiato primario exprimi posse.

Sed non recte Madvigius cum a structura II proficiscens structuram III explicare vult; postquam exempla structurae II attulit pergit his verbis: „Demnächst kann „im Lateinischen durch ein relatives Pronomen eine „Verbindung eines Haupt- und Nebensatzes (eines Vorder„und Nachsatzes) angeknüpft werden, in welcher das „relative Pronomen allein zum Nebensatze gehört (ohne „zugleich als Demonstrativ im Hauptsatze ergänzt zu „werden).“ Sequuntur exempla structurae III. — Itaque cum ille quodammodo (cf. „Demnächst cet.“) structuram III conformatione structurae II explicare velit, errare nobis videtur et quae relatio inter duas structuras intersit non recte perspicere.

Consideremus enim haec:

Structura III orta est e consuetudine sermonis Latini:

1. Ut enuntiatum secundarium saepe anteponatur primario;
2. Ut ante particulam subiunctivam, aut interrogativam, aut relativum, unde enuntiatum incipere solet, vocabulum quoddam collocari possit:

His duabus condicionibus potest explicari structura III, ut:

quam si explicavisset, non tantum haesitaret, quae communes sunt structurae III cum structura II; sed structura II adstricta est etiam tertiae condicioni: i. e. ut notio pronominis relativi in utroque enuntiato occurrat. Qua de causa potest recte a structura III ad II transiri sed contrarium, ut Madvigius fecit, non recte.

Unus Franciscus Devantierus (op. all.; cf. praef.) commentationem scripsit, quae tota ad tres structuras pertinet; postquam complura ad usum scholarum apta exponit, multum proficit in vero investigando cum animadvertit enuntiatum secundarium structurae II et III bis pendere: „Beide, sowohl das in der ersten Stelle „stehende satzverbindende Relativum als auch die „Konjunktion oder das Interrogativum oder das zweite „(korrelative) Relativum haben die Kraft zu subordinieren, „und zwar subordinieren sie in ihrer Konkurrenz denselben Satz in verschiedener Weise unter zwei Sätze. „Man kann sagen: In Fällen wie homini pretiosissimae „sunt eae res, quas nisi (qui non) possidet, beatus esse „non potest ist ein Satz, der durch eine Konjunktion (nisi) „oder ein (korrelatives) Relativum (qui) einem nachfolgenden Satze (beatus esse non potest) subordiniert „ist, durch ein vor die Konjunktion getretenes, auf einen „voraufgehenden Begriff sich beziehendes Relativum (quas) „auch von dem voraufgehenden Satze abhängig ge-

„macht worden, zu dem er in dem Verhältnisse eines „Nebensatzes zweiten Grades zum Hauptsatze steht.“ (pg. 7 sq.) Quare ille recte opinatur, cum iubet talia enuntiata bis pendentia enuntiata nominari („doppelt abhängige Nebensätze“).

Deinde altero quodam argumento contulit ille ad rem explicandam, cum ratione psychologica de structuris II et III dissereret; demonstravit enim (p. 16 sq.) in cogitando et dicendo mentem et orationem progredi solere atque ita structuram II ex quo cum quaereretur, inquit ab initio hanc formam habere, et non, primum qui, cum ex eo et q. s. et deinde regredienti mentis et orationis motu, ex quo cum et q. s. cogitari et dici; scilicet ab initio relativum constructionem enuntiati secundarii sequitur; in qua re omnino fit idem in structura II atque in III; sed interest, quod in structura II notio relativi in utroque enuntiato occurrit et quod attractio fit; quod ultimum — attractionem dico — Devantierus non attendit.

Sed praeter alias aliquot minutas res, quas silentio praeterimus, dixit ille quaedam graviora, in quibus cum eo non facimus; itaque, cum inquirit, quae fuerint condiciones vel facultas sermonis Latini, quibus structurae II et III exsistere possent, tres illas fuisse putat:

1. Primam sermonis consuetudinem fuisse, qua post enuntiatum primarium (A) proxime enuntiatum subiunctivum vel secundarium secundi ordinis (α), deinde enuntiatum secundarium primi ordinis (a) poneretur. Collocationis igitur forma A : α : a fieri potuisse ut structurae II et III conformarentur: „Im Lateinischen nun „haben Satzgefüge wie: veritus es (A), nisi eam artem „oratione exaggerasses (α), ne operam perdidisses (a) „or. I 55, 234 garnichts Auffallendes, und diese Freiheit „der Satzstellung innerhalb einer Periode ist es, die „überhaupt die allgemeine sprachliche Möglichkeit zur

„Bildung unserer doppelt abhängigen Sätze darbietet.“ (op. all. p. 15.)

Quod si ita esset, si omnino („überhaupt“) structurae II et III hac sermonis Latini facultate ortae essent, quonam modo in illam explicandi rationem quadrant exempla structurarum II et III, velut:

de Or. I 128: *Quae enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non potest.*

de leg. II 12: *Quo si civitas careat . . ., pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis?*

p. Balb. 33: *De quibus igitur etiam si latum esset ne quem civem reciperemus, tamen id esset, quod postea populus iussisset, ratum nec . . . ., de iis cum populus Romanus nihil umquam iusserit, quidquam audes dicere sacrosanctum fuisse?*

Nam his quoque locis enuntiata: *Quae — adepti sunt, quo si — careat* cet structuras II et III praebent et bis pendent sed tamen non occurrit collocatio A : α : a; deinde relativum non ad antecedentia sed ad sequentia spectat; qua de causa coniungi potest particulis coordinativis: *enim, igitur.*

Explicatio Devantieri angustior est, quia illis tantum structurarum II et III conformationibus satisfacit, in quibus relativum ad antecedentia spectat; addendum est, illas conformationes frequentissime occurrere. — Debet igitur alia esse quaedam condicio quae latius pateat et omnes conformationes comprehendat. — Opinio illius ita mutanda est, ut putetur, non eam collocationem (A : α : a), sed consuetudinem enuntiati secundarii anteponendi ex magna parte effecisse ut structurae II et III oriri possent.

2. Alia condicio, quam Devantierus recte animadvertit, continetur in eo, quod vocabulum, quod graviter dicitur poni potest ante particulam subiunctivam aut

interrogativam aut pronomen relativum, unde enuntiatum secundarium incipere solet.

3. Tertia denique ex verbis Devantieri non satis aperte intellegi potest; quippe qui his utatur verbis: „Schließlich ist auch noch der Umstand in Betracht zu „ziehen, daß im Lateinischen ein Nomen, welches bei „einem aus vorausstehendem untergeordneten und folgen- „dem übergeordneten Satze bestehenden Satzgefüge vor „der Konjunktion an der Spitze des Ganzen steht, nicht „notwendig in demselben Casus zu beiden Sätzen zu „gehören braucht, sondern allein nach dem voranstehenden „Nebensatze konstruiert werden kann, wobei dann ent- „weder, wie in dem Satze Caesar cum ab hoste non „amplius passuum XII milibus abesset, ut erat consti- „tutum, ad eum legati revertuntur (Caes. B. Gall. 4, 11, 1), „ein Demonstrativum in den folgenden Satz treten kann, „oder, wie in Romanis etsi quietae res nuntiabantur, „tamen castra muniebant, Liv. 5, 1, der nötige Casus „aus dem vorangestellten Begriffe ergänzt werden muß. — „Durch eine solche Freiheit, die allerdings eine Aus- „nahme bildet, wurden auch die gleichen Relativkon- „struktionen, also qui cum abesset, ad eum legati rever- „tuntur und quibus etsie quietae res nuntiabantur tamen „castra muniebant, s. Zumpt[5] p. 803.“ — (op. all. p. 15.)

In quibus Devantierus Zumptium sequens structuram II similibus explicare vult conformationibus, quae nomen substantivum pro relativo praebent; hoc in universum recte quidem, sed obscure et non ex omni parte recte dictum; itaque desideramus aliquid in sententiarum conexu, nam sensus posterioris partis: „sondern allein“ et q. s. non respondet eis, quae antecedunt: „nicht notwendig — braucht“; post quae exspectatur tàle aliquid: sondern in verschiedenen Kasus; in diesem Falle kann es (i. e. das Nomen) nicht fakultativ nach einem

der beiden Sätze, sondern allein nach dem voranstehenden Nebensatze konstruiert werden, wobei dann et q. s.

Si eius mentem recte perspeximus, putat ille in comprehensione: Romanis etsi quietae res et q. s. (v. supra) nomen Romani tantum („allein") enuntiati secundarii constructionem sequi posse; sed omnino non vere, si hoc cogitavit; dici enim optime Latine potest etiam: Romani, etsi eis et q. s. ut:

in Verr. l. II 69: *Sopater, cum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset, commotus est sane neque* et q. s.

ad Att. IV 3, 5: *reum Publium, nisi ante occisus erit, fore a Milone puto*; et permulta similia.

Utrumque potest: nomen substantivum potest aut enuntiati secundarii, aut primarii constructionem sequi; quod grammatici, quod sciam, non satis attenderunt.

Deinde non recte Devantierus fecit, cum nullam haberet rationem conformationum, in quibus casus substantivi idem est in utroque enuntiato; nam tum quoque utrumque fieri potest: scilicet nomen substantivum potest esse pars aut enuntiati primarii aut secundarii:

ad Att. IV 3, 4: *Clodius, cum haberet fugitivorum delectas copias, in campum ire non est ausus.*

ibid. IX 1, 4: *Marcelli quidem, nisi gladium Caesaris timuissent, manerent.*

ad fam. XI 6, 1: *Lupus noster cum Romam sextio die Mutina venisset, postridie me mane convenit tuaque mihi mandata* et q. s.

Atque hae conformationes necessariae sunt ad structurae II constructiones explanandas, in quibus casus pronominis relativi idem est in utroque enuntiato, velut:

Or. 104: *qui quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas*; Phil. XIV 28: *cui cum imperium dabamus, eodem tempore etiam spem eius nominis deferebamus.*

Ex quibus apparet, non necessarium esse ut nomen commune alio utatur casu in utroque enuntiato aut tantum constructionem enuntiati secundarii sequatur, quo structuram II explanemus; sufficiunt enim ut occurrat nomen quod sit commune duobus enuntiatis diversi ordinis; quod cum fit, aut sequitur illud nomen constructionem enuntiati primarii, ut:

Sopater, cum hoc illi . . . accidisset, commotus est sane et q. s.

cui respondet structura I:

qui, cum hoc illi . . . accidisset et q. s.

aut, attractione facta, sequitur constructionem enuntiati secundarii, ut:

Romanis etsi quitae res nuntiabantur, tamen . . . muniebant;

cui respondet structura II:

quibus etsi quietae res nuntiabantur, tamen . . . muniebant.

Sed haec hactenus.

Caput II.

Cum iam in diiudicandis virorum doctorum opinionibus quid de tribus constructionibus sentiamus aliqua ex parte dixerimus, nunc quam brevissime iudicium nostrum exponemus.

§ 1. Quomodo tres constructiones exstiterint.

iDe structura III.

Sermonis Latini consuetudo quaedam, quae latissime patet, est ut enuntiatum secundarium anteponatur primario:

in Verr. l. I 115: *Si habuisset iste edictum, quod ante istum et postea omnes habuerunt, possessio Minuciae genti esset data.*

In qua conformatione saepe vocabulum quoddam, quod graviter dicitur, ante particulam subiunctivam aut interrogativam aut pronomen relativum ponitur:

1. Occurrit nomen substantivum:

ad Att. X 15, 1: *Servius cum esset apud me, Cephalio cum tuis litteris VI Idus venit.*

Item: in Verr. l. III 54; p. C. Rabir. perd. 16; or. c. s. gr. e. 22; ad Att. XII 39, 1.

ad Att. XIV 19, 4: *Antonium si videro, accurate agam de Buthrato;* ad Att. XV 29, 1: *Brutum cum convenero, perscribam omnia;* ad Q. fr. II 6, 2; *a puero ut discessi, in aream tuam veni.*

Cato m. 28: *Orator metuo ne languescat;* ad fam. XI 28, 2: *Civibus victis ut parceretur, aeque ac pro mea salute laboravi;* in Verr. l. V, 116: *Virgis ne caederetur monet ut caveat.*

ad Att. XII 32, 1: *Res quam molesta sit vides:*

Item: ad fam. IV 11, 1; ad Att. XIII 17; XV 19, 1.

2. Occurrit pronomen demonstrativum vel personale:

p. Quinct. 28: *Haec cum Romae geruntur, Quinctius vi detruditur;* in Verr. l. I 113: *Nos si alienam vicem pro nostra iniuria doleremus, vestigium istius in foro nullum esset relictum.*

Item: in Verr. l. I 67; l. III 113; acad. pr. 104: *id cum ita sit;* ad fam. I 5a, 2; ad fam. II 3, 2: *id si ita est;* XV 14, 3.

Br. 207: *Horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum* et q. s.

Item: in Verr. l. III 67.

in Cat. IV 6: *Huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis;* de imp. Cn. Pomp. 5: *Huic qui successerit* et q. s.

ad fam. XIII 77, 3: *Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quam mihi gratum futurum sit.*

Item: de or. I 205 (*ea si*); p. Caecin. 40 (*ea si*); ad Att. IX 6, 5 (*eas cum*).

in Verr. l I 25: *hoc si non utor, non tibi iniuriam facio.*

Item: ad fam IX 2, 1 (*de te si*); XIV 10 (*cum eo si*).

Demonstrativum et particula coordinativa:

in Verr. l. II 33: *idque cum faciebat, nemo dubitabat, quin* et q. s.

Item: Br. 16 (*idque ut*): de div. I 45 (*eius igitur . . . quae*); ad fam. VI 1, 4 (*eaque cum*); XII 18, 1 (*idque ut*); XIII 79 (*idque ut*); ad Att. XVI 16B., 9 (*idque ut*); ad Att. 3 III (*sed eo si*).

ad fam. XV 14, 6: *Id tu ut tuo studio confirmes te vehementer rogo.*

in Verr. l. I 88: *Hoc quam nihil sit cognosce;*

Item: in Verr. l III 200 (*haec quam sint*); ad Att. IX 7B., 2 (*haec quam*); 1, 4 (*tu quid*); XI 17, 3 (*id quale*); XV 6, 1 (*ille quid*); 19, 2 (*hoc . . quid*); ad Q. fr. III 1, 3 (*de eo quid*).

Ex duabus rationibus supra memoratis, quarum vim iam in exemplis vidimus, quae substantivum aut pronomen personale vel demonstrativum exhibent, omnino eodem modo orta est etiam structura III: *quam si explicavisset, non tantum haesitaret.*

Inter conformationes quae demonstrativum vel personale et eas, quae relativum exhibent, nihil interest nisi id, quod ex ipsa natura peculiari pronominis relativi sequitur; relativum enim non solum, ut reliqua pronomina, pro aliquo nomine substantivo ponitur, sed etiam coniungit; quod praeter alia etiam ex eo apparet, quod relativum pro demonstrativo et particula coordinativa usurpari potest, i. e. q u i pro e t i s, i s i g i t u r, i s a u t e m, n a m i s cet. et, cum ad antecedentia spectat, nunquam dici potest: *qui autem, qui autem* cet.; haec vis relativi notabilis est; ea enim re explanari potest, qua de causa structura III nec non II bis pendeat; itaque si in comprehensione aliqua velut:

i i s i l l e s i c e d i t, s a l v i s u m u s

relativum ponitur, exsistit:

quibus ille si cedit, salvi sumus;

in hac conformatione tota comprehensio subiungitur, atque ita enuntiatum iis ille si cedit, cum mutatum sit in quibus ille si cedit bis pendet: primum particula si ab enuntiato sequenti, deinde pronomine relativo ab eis, quae praecedunt; praeterea, enuntiatum primarium, salvi sumus, quod omnino non pendebat, iam, relativo pro demonstrativo posito, pendet, qua re tota comprehensio quodam modo relativam vim habet; nam etiam secundum enuntiatum relative aliqua ex parte dicitur, quia arctissime particula si cum enuntiato relativo conectitur.

Pauca etiam de hac structura infra addam, cum primum de structuris I et II dixero. Nunc autem animadvertamus, in structura III notionem relativi tantum in enuntiato secundario occurrere.

De structuris I et II.

Fit interdum ut aliqua notio communis sit duorum enuntiatorum diversi ordinis et quae quandam comprehensionem faciunt; tum exoritur quasi contentio quaedam, utri enuntiato attribuatur nomen, quo significantius illa notio notetur, velut:

ad Att. III 20, 2: *In universa salute, si ea modo nobis restituetur, inerunt omnia.* in qua comprehensione vocabulum, quo notio communis universa salus significantius exprimitur, attribuitur enuntiato primario; alias autem fit contrarium:

ad Att. VIII 10: *Dionysius cum ad me praeter opinionem meam venisset, locutus sum cum eo liberalissime.*

Scilicet alias vincit ratio logica, ut in primo loco, alias psychologica, attractione admissa, ut in altero loco; consilium eius qui dicit vel scribit et quidam animi motus faciunt huius rei normam.

Quod cum a grammaticis[1]) aut nequaquam aut non satis animadversum sit, non alienum putamus aliquot exempla afferre, quibus haec res paulo accuratius illustretur:

1. Occurrit pronomen demonstrativum vel personale:

a. Pronomen sequitur constructionem enuntiati primarii et eius notio subauditur aut exprimitur in secundario: Pronomen relativum est:

α. Subiectum in utroque enuntiato:

de or. II 174: *Haec, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt;* ad fam. VII 32, 3: *Sed mehercules extra iocum: valde mihi tuae litterae facetae elegantesque visae sunt. Illa, quamvis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non moverunt;* ad fam. XII 9, 2: *Nos, confectum bellum cum putaremus, repente a Lepido tuo in summam sollicitudinem sumus adducti.*

Item: Br. 273 (*Hic, cum*); ad Q. fr. III 4, 2 (*ille, cum*) ad Att. X 9, 3 (*ego, si*).

β. Subiectum in primario, obiectum aut attributum in secundario:

in Verr. I. 70: *Ille, quod eius avaritiam cives Romani ferre non potuerunt, Uticae domi suae vivus exustus est;* p. Rabir. perd. 18: *Ego autem, si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen.*

Item: Parad. st. 1, 14 (*tu, cum tibi*); ad Att. II 1, 2 (*tu, si tibi*); VIII 1, 4 (*tu, si tibi*); 6, 2 (*tu, si tibi*); ad fam. X 31, 6 (*ego quidem, etsi mihi*); XII 18, 1 (*ego autem nunquam, cum mihi*); XV 11, 2 (*ego, si me*).

γ. Obiectum in primario, subiectum in secundario:

---

[1]) cf. Heinichen (F. A.), Lehrb. d. lat. Stils, p. 183 sqq.; Haacke (A.), Lat. Stilistik cet., p. 333 sq.; Berger (E), Lat. Stilistik p. 166.

Br. 43: *hunc isti aiunt, cum taurum immolavisset, excepisse sanguinem* et q. s.; p. Sull. 31: *te, si quid eiusmodi facis, vehementer admiror.*

Item: in Verr. l. IV 56 (*ei, cum*); p. Planc. 101 (*me, si*); ad Att. II 1, 9 (*mihi, quod*).

Notabilis est huius generis conformatio cum pronomen cum particula coordinativa occurrit:

in Verr. l. V 119: *nam illorum, cum erunt securi percussi ac necati, corpora feris abiicientur;* ad fam. XII 30, 7: *eosque ex senatus consultu, si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo;* ad Att. VII 22, 1: *eumque, nisi in navem se contulerit, exceptum iri puto;* ad fam. XIV 1, 4: *sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, velim esse quam coniunctissimos.*

b. Pronomen sequitur constructionem enuntiati secundarii et eius notio subauditur aut exprimitur in primario:

Pronomen est:

α. Subiectum in utroque enuntiato:

in Verr. l. I 105: *Iste tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillae matrem summittebat;* Br. 236: *Is cum satis floruisset adolescens, minus haberi est coeptus postea;* Br. 238: *Hic etsi etiam in causis publicis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum;*

Item: in Verr. II 74 (*iste quamquam*); 173 (*iste cum*); in Verr. l. I 104 (*is cum*); II 68 (*is cum*); 169 (*is cum*); III 53 (*is cum*); 200 (*is cum*); p. Rosc. A. 33 (*is cum*); 70 (*is cum interrogaretur . . . respondit*); p. Rosc. c. 11 (*hic nisi*); de dom. 122 (*ego vero si*); in Cat. I 29 (*ego si*); de div. II 108 (*is etiam cum*); 139 (*hi cum*).

β. Subiectum in enuntiato secundario, obiectum aut attributum in enuntiato primario:

de div. II 49: *id si evenit, ostentum esse censet;* ibid. II 143: *is cum esset proiectus inhumatus ab omnibusque desertus iaceret, amica corpus eius texit suo pallio;* ad fam.

VII 1, 2: *is iurare cum coepisset, vox eum defecit in illo loco.*

γ. Obiectum aut attributum in enuntiato secundario, subiectum in enuntiato primario:

in Verr. l. III 56: *Ei cum pro iugeribus quinquaginta medimna DCC decumae imperarentur, quod recusabat, domum ad istum in ius eductus est;* ad fam. XI 28, 8: *mihi quidem si optata contingent, quod reliquum est vitae, in otio Rhodi degam;* p. Mur. 77: *haec omnia ad rationem si dirigas, recta sunt.*

δ. Attributum aut obiectum in utroque aut in alterutro:

p. Sull. 71: *huius si causa non manifestis rebus teneretur, tamen eum mores ipsius ac vita convinceret;*

Br. 238: *Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset;* in Verr. l. IV 32: *eo cum venio, praetor quiescebat.*

Notanda est huius generis forma, cum demonstrativum et particula coordinativa occurrunt:

in Verr. l. III 145: *atque ei cum responsum esset . . . inquit;*

Item: in Pis. 84 (*eosque cum*); de or. III 177 (*sed ea*); de nat. deor. II 20 (*atque haec*).

Liceat in transcursu afferre etiam has tres formas:

Pronomen demonstrativum vel personale post particulam subiunctivam vel relativum positum:

p. Quinct. 10: *cum ei omnia inimica . . . fuerint, te . . orat atque obsecrat, ut* et q. s.

Item: p. Quinct. 11 (*cum ei*); p. Rosc. A. 33 (*cum ab eo*); ad fam. VII 21, 1 (*cum ei*); XV 3, 1 (*cum ad me*); ad Att. II 9, 1 (*cum mihi*); V 11, 2 (*etsi illa*); VIII 11 B, 2 (*cum eo*; adv.); IX 16, 1 (*cum eius*).

Ut supra sed etiam particula coordinativa occurrit, quae:

ante particulam subiunctivam ponitur:

ad Att. II 1, 3: *Et quoniam te cum scripta, tum res meae delectant, iisdem ex libris perspicies et quae gesserim* et q. s.; de leg. I 21: *nam si hoc non probas, ex eo nobis causa ordienda est* et q. s.

post particulam subiunctivam:

ad Att. XI 10, 1: *cumque ex eo de me percontaretur . . . narrabat* et q. s.; ad Att. X 4, 9: *cum autem ex eo quaererem . . . plane fatebatur* et q. s.

2. Occurrit nomen substantivum:

a. Coniungitur cum enuntiato primario:

Eius notio[1]) fungitur:

α. Subiecti munere in utroque enuntiato:

de dom. 102: *M. Flaccus, quia cum Graccho contra salutem rei publicae fecerat, ex senatus sententia est interfectus;* de pet. cons. 31: *homines municipales ac rusticani, si nobis nomine noti sunt, in amicitia esse se arbitrantur*; de imp. Cn. Pomp. 23: *noster autem exercitus, tametsi urbem . . ceperat et . . ., tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio commovebatur.*

Item: in Verr. l. II 122 (*Halesini . . ., cum*); de dom. 86 (*Kaeso ille . . ., cum*); ad Att. IV 3, 4 (*Clodius, cum*); IX 1, 4 (*Marcelli quidem, nisi*); de nat. d. II 10 (*Gracchus, cum*).

β. Subiecti munere in enuntiato primario, obiecti vel attributi in enuntiato secundario:

in Verr. l. II 69: *Sopater, cum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset, commotus est sane;* ad fam. IX 14, 3: *L. quidem Caesar, cum ad eum . . . venissem, . . . inquit;* de div. II 52: *Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent;* de dom. 70: *homines legum . . . metu-*

---

[1]) Proprie notio aliqua nullo grammatico munere fungi potest; sed perspicuitatis causa ita dicimus.

entes, cum frequentissimus senatus eos . . flagitaret, non se rem improbare dicebant, sed et q. s.

γ. Obiecti munere in enuntiato primario, subiecti in enuntiato secundario:

Tusc. disp. I 86: *Pompeio, nostro familiari, cum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum;* ad Att. III 20, 2: *In universa salute, si ea modo nobis restituetur, inerunt omnia;* ad Att. XII 37, 2: *Quare antequam discedis, Othonem, si Romae est, convenias pervelim;* Tusc. d. V 97: *Socratem ferunt, cum . . . ambularet quaesitumque esset ab eo . . ., respondisse;* de imp. Cn. Pomp. 35: *Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit* et q. s.

Item: de har. resp. 37 (*Lentulum, cum*); ad Att. IV 3, 5 (*reum Publium, nisi*); IX 9, 4 (*Trebatium nostrum, etsi*); ad fam. XV 2, 1 (*Parthos, si*); de off. III 112 (*L. Manlio . ., cum*).

δ. Obiecti (vel attributi) munere in utroque enuntiato:

p. Cluent. 31: *Ita mulierem, ne partu eius ab hereditate fraterna excluderetur, necavit;* ad fam. V 6, 3: *Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen . . . defendi* et q. s.

b. Substantivum coniungitur cum enuntiato secundario:

Eius notio fungitur:

α. Subiecti munere in utroque enuntiato:

de dom. 130: *Hoc signum C. Cassius censor cum in curiam transtulisset, collegium vestrum consuluit* et q. s. de dom. 141: *Di immortales suorum templorum custodem ac praesidem sceleratissime pulsum cum viderent, ex suis templis in eius aedes immigrare nolebant*; ad fam. XI 6, 1: *Lupus noster cum Romam sexto die Mutina venisset, postridie me mane convenit* et q. s.

β. Subiecti munere in enuntiato secundario obiecti vel attributi in enuntiato primario:

ad fam. IX 2, 1: *Caninius, idem tuus et idem noster, cum ad me pervesperi venisset et . . . , dixi ei me daturum aliquid*; p. Mur. 26: *Praetor interea ne pulchrum se ac beatum putaret atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est* et q. s.; ad Att. VIII 10: *Dionysius cum ad me praeter opinionem meam venisset, locutus sum cum eo liberalissime.*

γ. Obiecti munere in enuntiato secundario subiecti in enuntiato primario:

Phil. I 18: *De Caesare ipso si quaereres, quid nam egisset in urbe et in toga, leges multas responderet se et praeclaras tulisse.*

δ. Obiecti vel attributi munere in utroque enuntiato:

de off. I 112: *Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem . . . , moriendum potius quam tyranni vultus aspiciendus fuit*; ad fam. XV 14, 1: *M. Fadium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaestum*; ad Att. XII 36, 2: *Ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, quod in Cumano esse noluerit* et q. s. [a (b : A)].

Notetur denique forma in qua nomen substantivum et particula coordinativa occurrit:

in Verr. l. V 55: *Nam statim L. Metellus ut isti successit, ex C. Sacerdotis et ex Sex. Peducaei instituto ac litteris frumentum Mamertinis imperavit*; de re p. II 17: *Ac Romulus cum septem et triginta regnavisset annos et haec egregia duo firmamenta rei publicae peperisset, auspicia et senatum, tantum est consecutus, ut, cum* et q. s.

Ex quibus exemplis elucet profecto nihil obstitisse, quominus similes exsisterent conformationes, cum pronomen relativum occurreret; immo, ex natura relativi, quod etiam

adnectit, et ex usitatissima sermonis Latini consuetudine orationem quam arctissime coniungendi intellegi potest illud etiam magis et frequentius pronomine relativo fieri debuisse.

Omnino igitur eodem modo ortae sunt conformationes:

Structurae I: de dom. 139: *qui, cum eum multi . . . impedirent, restitit*;

et structurae II: Tusc. d. II 60: *quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, . . . respondit.*

Atque quaestio quidem grammatica haec est: Cum duo enuntiata, quorum alterum ab altero pendet, comprehensionem faciunt, cumque enuntiatum pendens anteponitur aut inter partes enuntiati regentis ponitur, tum, si nomen aliquod in utroque enuntiato aliquo munere fungitur, tantum semel poni solet in alterutro enuntiato, in altero autem aut exprimitur eius notio demonstrativo vel personali, aut subauditur.

Si illud nomen, quod in utroque enuntiato aliquo munere fungitur, pronomen est relativum, fiunt structurae I et II, ut in duobus locis supra allatis.

His duabus structuris respondent duae cogitandi rationes:

Structurae I, ratio logica, i. e. cum notio relativi cum notione verbi primarii coniungitur (cf. exempl. supra all. de dom. 139);

Structurae II, ratio psychologica, i. e. cum notio relativi, ratione logica disturbata et attractione admissa, cum notione verbi secundarii coniungitur (cf. supra: Tusc. d. II 60).

Tres igitur sunt condiciones quibus structura II orta est:

1. Consuetudo enuntiati secundarii anteponendi;

2. Consuetudo ut in aliquo enuntiato vocabulum, quod graviter dicitur, particulae subiunctivae aut interrogativae aut pronomini relativo anteponatur;

3. Unum nomen, quod in utroque enuntiato aliquo munere fungatur.

In structura I autem necesse est:

1. Ut enuntiatum secundarium inter partes collocetur primarii;

2. Unum nomen sit quod in utroque enuntiato aliquo munere fungatur.

§ 2. Quae ratio inter tres structuras intercedat.

Postquam explanavimus quomodo tres structurae exstiterint, iam videamus quae intercedat inter eas ratio.

Inter structuras I et II quid intersit apertum est:

Quantum ad sensum pertinet nihil nisi quod relativi notio communis in structura I cum verbo primario, in structura II cum verbo secundario coniungitur; orationis autem conformatione permultum; nam in structura I comprehensio relativa occurrit, quae ex enuntiato relativo primario constat, inter cuius partes collocatur enuntiatum quod ab illo pendet; deinde pronomen relativum sequitur constructionem enuntiati primarii et in secundario subauditur eius notio aut exprimitur pronomine demonstrativo vel personali;

in structura II autem:

1. Relativum sequitur constructionem enuntiati secundarii et eius notio subauditur aut exprimitur demonstrativo vel personali in enuntiato primario;

2. Comprehensio relativa constat ex enuntiato relativo quod anteponitur et quod bis pendet et enuntiato primario, quod subsequitur et quod relative (i. e. germanice: relativisch) non per se, quamquam est primarium[1]), sed per enuntiatum relativum coniungitur cum eis quae toti

[1]) Cum primarium dicimus, intellegimus tantum eius relationem ad enuntiatum relativum.

comprehensioni praecedunt aut eam sequuntur. — Quod extremum fortasse primo conspectu mirum videtur, sed re vera nihil miri habet, nam cum enuntiatum primarium particula subiunctiva arcte cum secundario relativo cohaereat, fit necessario ut non solum enuntiatum secundarium, sed etiam primarium relative cum praecedentibus aut sequentibus coniungatur (de qua re vide etiam supra pg. 196).

Quae ratio inter structuras II et III intercedat:

Cum condiciones, quibus hae duae orationis conformationes ortae sint, ut iam exposuimus, partim eaedem, partim aliae fuerint, sequitur necessario, ut inter ipsas et similitudines sint et dissimilitudines:

Structurae II exemplum: quem cum multi impedirent, restitit.

Structurae III exemplum: quam si explicavisset, non tantum haesitaret.

Inter has structuras una tantum est similitudo eaque sane magni momenti: in utraque occurrit comprehensio quae constat ex enuntiato relativo quod anteponitur et quod bis pendet et enuntiato primario quod subsequitur et quod non per se sed per enuntiatum relativum relative cum antecedentibus aut sequentibus coniungitur.

Sed pariter magni est momenti id, quod dissimile est; idque non solum ad sensum sed etiam ad formam attinet; quapropter non recte quidam iudicant, cum has duas structuras prorsus similes habent.

Quantum ad sensum pertinet:

In structura II notio relativi in utroque enuntiato occurrit cum in str. III tantum in enuntiato relativo; ex qua re sequuntur hae dissimilitudines, quae ad formam spectant:

1. In structura II occurrit saepe demonstrativum vel personale, quod eandem notionem exprimit atque relativum:

p. Cluent. 33: *quae cum se esse respondit, ab ea petivit* et q. s.

2. In structura III, quia notio relativi non ad utrumque verbum spectat, potest fieri, ut enuntiatum secundarium inter partes secundarii collocetur proxime post pronomen relativum, quod in structura II fieri non potest;

in Vat. 16: *quem tu dirumperis cum aedilicium vides;*
p. Rabir. perd. 24: *quos amentissimus fuisset si oppugnasset.*

3. In structura III, cum notio relativi tantum in enuntiato secundario occurrit saepissime fit, ut pro enuntiato relativo ablativus absolutus qui dicitur ponatur:

ad Att. VII 2, 4: *qua sublata vitae societas tollitur*;

Quod in structura II perraro et per exceptionem fit.

4. Structura II conformationem structurae I sumere potest:

pro: *quem cum multi impedirent, restitit*

dici potest sententia fere omnino non mutata:

qui, cum eum multi impedirent, restitit;

in conformatione structurae III autem: quam si explicavisset, non tantum haesitaret, idem nullo modo fieri potest, quia notio relativi non in utroque enuntiato occurrit; in exemplis structurae III in quibus idem fieri posse videtur, ut:

de fin. III 9: (puer) *infici debet iis artibus, quas . . si combiberit, ad maiora veniet paratior*;

si structurae II conformatio fit: quibus, si eas . . combiberit et q. s. non recte, nam permultum sententia mutatur.

5. Cum structura II conformationem structurae I sumere potest, sequitur, eam etiam omnes structurae I formas habere posse; itaque praeter alias, enuntiatum secundarium postponi potest:

ex forma: quem cum multi impedirent, restitit
potest fieri: qui, cum eum m. imp., restitit,
ex hac: qui restitit, cum multi eum impedirent.

6. Denique non praetereundum est in structura II attractionem esse, in str. III autem nullam esse attractionem[1]).

§ 8. De natura trium comprehensionum.

Iam ad finem disputationis aggressus, postquam demonstrare temptavi qua ratione tres constructiones ortae sint et quae ratio inter eas intercedat, pauca tantum addam de principio vel fonte, unde illae atque etiam in universum omnes relativae comprehensiones profectae sint.

Earum omnium principium est in natura ipsa peculiari pronominis relativi; nam hoc pronomen, cum pro nomine ponitur, non tam nomen significat, ut reliqua faciunt pronomina, quam refert aliquid et coniungit vel subiungit; atque subiungit vel unum enuntiatum vel comprehensionem; cuius totius naturae quia viri docti non satis rationem habuerunt, saepe non recte de tribus structuris disputarunt; itaque, ut tantum de paucis dicam, ei, qui iudicarunt, has structuras ex consuetudine exstitisse, qua relativum pro demonstrativo et particula coordinativa usurpatur („relativischer Anschluß"), sua ratione explicare non possunt trium constructionum conformationes, in quibus relativum correlativam vel meram relativam vim habet; deinde Devantierus erravit ex

---

[1]) Qua de causa, cum pro structura III tantum duae condiciones sint necessariae: ‚1. ut enuntiatum secundarium anteponatur; 2. ut nomen quoddam ante particulam subiunctivam cet. poni possit et cum pro structura II etiam tertia condicio sit necessaria: i. e. ut notio relativi in utroque enuntiato occurrat et attractio fiat, non recte plurimi viri docti (inter quos Madvigius, Naegelsbachius, Kuehnerus) fecerunt, cum in his structuris explicandis a structura II ad III transirent; contrariam viam recte ingressi essent. — In quem errorem, ut videtur, inducti sunt quia non accurate perpenderunt, quae inter has structuras ratio intercedat.

parte, quia non conformationum habuit rationem in quibus relativum non ad praecedentia sed ad sequentia spectaret.

Cum tres structurae ratione, qua iam demonstravimus, exstiterint, omnes proprietates quae peculiares pronomini relativo erant, etiam in illis structuris apparuerunt, velut:

1. Pronomen relativum potest usurpari pro et is, is autem cum particula coordinativa;

2. Pronomen relativum potest usurpari pro is, iste cet. sine particula;

3. Pronomen relativum potest usurpari pro is, iste cet. cum particula subiunctiva:

Caesar misit exploratores, qui viderent (qui = ut ii);

Ea suasi Pompeio, quibus ille si paruisset (quibus = ut [ille si] iis);

4. Ab illo potest incipere enuntiatum vel comprehensio, quae attributi loco ponitur;

5. Ab illo potest incipere enuntiatum vel comprehensio, quae appositionis loco ponitur;

6. Pronomen relativum potest correlativam aut demonstrativam aut attributivam vim habere;

7. Potest referri vel ad praecedentia, vel ad sequentia.

Hae omnes proprietates necessario apparuerunt etiam in structuris I, II, III, cum relativum non singula enuntiata, sed comprehensiones coniungeret.

Haec nostra ratio quae tres constructiones e natura ipsa relativi et praesertim ex eius referendi vel coniungendi vi explicat, omnibus earum conformationibus satisfacit.

(Sequitur tabella conformationum structurae III.)

Orationis conformationes				Nominativus Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.
I. Et protasis et apodosis unum enuntiat. praebent				13	38	30	42
II. Protasis plura, apodosis unum enuntiatum praebet; enuntiata, quae protasin faciunt, sunt			1. Eiusdem ord.	—	11	6	2
			2. Diversi ord.	1	6	4	8
			3. Utriusque ord.	—	3	1	1
III. Protasis unum, apodosis plura enuntiata			1. Eiusdem ord.	2	14	5	7
			2. Diversi ord.	15	45	31	40
			3. Utriusque ord.	2	6	8	6
IV. Et protasis et apodosis praebent plura enuntiata	Protasis constat ex enuntiatis a. Eiusdem ord.	Apodosis	1. Eiusdem ord.	1	2	1	—
			2. Diversi ord.	3	8	4	7
			3. Utriusque ord.	—	—	—	—
	b. Div. ord.	Apodosis	1. Eiusdem ord.	1	1	1	2
			2. Diversi ord.	1	3	2	3
			3. Utriusque ord.	1	—	2	—
	c. Utriusq. ord.	Apodosis	1. Eiusdem ord.	—	—	—	—
			2. Diversi ord.	—	3	3	1
			3. Utriusque ord.	—	1	1	—
Enuntiatum relativum est interrogatio obliqua aut enuntiatum substantivum	Enuntiatum substantivum est		Subiect. enunt. primarii	2	—	2	2
			Obiect. enunt. primarii	—	3	3	3
			Nec subiect. nec obiect.	—	—	—	—
	Interrogatio obliqua est		Subiect. enunt. primarii	3	2	2	7
			Obiect. enunt. primarii	4	27	11	11
				49	173	117	142

Genetivus				Dativus				Accusativus				Ablativus				
Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	Rhet.	Orat.	Epist.	Phil.	
7	13	—	9	1	4	8	7	10	40	24	53	7	11	13	19	349
—	—	1	1	—	1	—	—	2	9	3	4	—	5	—	2	47
1	—	1	—	—	1	—	1	2	4	2	6	1	—	—	1	39
—	—	—	1	—	—	—	—	1	—	1	—	—	2	—	1	11
1	—	1	2	—	3	—	—	4	9	4	17	2	3	1	3	78
2	4	7	9	2	2	2	1	9	37	37	32	7	11	6	15	314
—	—	—	1	—	—	1	2	4	6	10	15	2	2	3	2	70
—	—	—	—	—	—	—	—	—	4	—	4	1	1	—	—	14
—	1	—	2	—	—	—	—	2	4	—	5	—	1	1	2	40
—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	2	—	3
—	—	—	—	1	—	1	—	1	2	3	1	—	1	1	1	17
1	2	—	—	1	—	—	—	—	7	3	4	—	1	2	2	32
—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1	2	—	—	—	—	8
—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	—	3
1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	1	—	2	—	12
—	—	1	—	—	—	1	—	—	1	—	1	—	—	—	—	6
—	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	8
—	—	1	—	—	1	1	—	—	1	17	2	—	2	5	—	39
—	—	—	—	—	—	—	—	1	5	5	—	—	1	2	—	14
2	—	1	3	—	1	—	—	—	—	1	—	2	1	—	2	27
2	3	3	7	—	1	2	—	—	3	5	5	3	14	5	7	113
17	24	16	36	6	14	16	11	36	135	116	152	26	57	44	57	1244

VITA.

Petrus Mihaileanu natus sum a. d. IV Id. Nov. anni MDCCCLXXIII Focsaniis in terra Rumanorum patre Michaele, matre Maria e gente Miron. — Fidei addictus sum Graecae orthodoxae. — Postquam litterarum elementis imbutus sum, frequentavi gymnasium Focsaniense „Unirea". — Maturitatis testimonio a. MDCCCXCI accepto Bucurestensem universitatem petii philologis studiis operam daturus; ubi per quattuor annos doctrina praeceptorum usus, quorum memoriam grato animo repeto, honorem licentiati qui dicitur capessivi a. MDCCCXCV. — Ex eo tempore usque ad a. MDCCCCII docui in gymnasiis linguas Latinam et Graecam; deinde ad pleniorem doctrinae philologae cognitionem comparandam per quinque annos universitates Germanicas frequentavi.

Berolini per novies senos menses adii scholas vv. ill. Diels, Norden, Thomas, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff; Hirschfeld, Kalkmann; Döring, Lasson, Paulsen, Stumpf. — Monachii per sex menses audivi vv. ill. Crusius, I. de Mueller, Weymann, Wölfflin; Traube. Per ter senos menses sodalis fui proseminarii philologi Berolinensis, cum exercitationes moderabantur Diels, Helm, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff; per quinquies senos menses sodalis fui seminarii philologi, in quo egregia Kirchhoffii et Vahleni institutione frui mihi licuit.

Omnibus his viris spectatissimis, praecipue Vahleno, qui etiam auctor mihi fui' ut operam huic quaestioni darem, et Nordeno, qui benigne me in ea pertractanda et perficienda consilio adiuvit, summas ex animo ago gratias.





